6
11-b
40

6
10 E
41

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

~~6-11-b-40~~

22-a-18

22
2
12

PANEGYRICVS
HIERONYMI BENDANDI
RAVENNATIS

In Archigymnaſio Bononien. Sac. Theologiæ Profeſſoris.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Bibl. secr.
ex leg.

Coll. Rom. S. J.
Card. Pallav.


SEMINE AB ÆTHEREO
PANEGYRICVS
SERENISSIMÆ
VENETORVM
REIPVBLICÆ
DICTVS
A HIERONYMO
BENDANDO
MON.° CASIN.ⁱ
Coriolanus F.
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



SERENISS. DVCI,
Atque Excellentiſsimis REIPVBLICÆ VENETÆ SENATORIBVS.

HIERONYMVS BENDANDVS

S. P. D.

BIBLIOTECA N... ROMA VITTORIO E...

V*Rget anxia quædam ſolicitudo permultos reddendæ rationis; cur panegyricos ſuis dicant Heroibus, ac ſi ſtatim Rei dum laudant, citentur ad iudicem. Ego certè, Sereniſſime Princeps, Excellentiſſimi Patres, ſi de hac vnquàm cauſa appellarer, ſciſcitaturo, quìd vos laudarim? reſpondebo, quæſtionem eſſe neſcientis vos. Quærere cur pulchrum ametur, cæci interro-*

terro-

terrogatio eſt, cur laudetur honeſtum, impudentis. Aliquem agnoſcere vos, & ſilere de vobis? Iure eſſet ille vel ſimulationis condemnandus, vel inuidiæ. Audiat, qui cupit, laudationis meæ pro ratione voluntatem: laudaui, quia volui: ita tamen volebam, vt non potuiſſem non velle. Fuiſſet idem protuliſſe neceſsitatem, quæ inuincibilis mihi quidem inſtabat. Quæritur, quæ? Amoris, inquam, cuius vltima gloria eſt priuare laudatorem arbitrio. Si amor non cogat ad encomium, obijcietur fortaſsè virtus, at vitiorum læſa confinio. Si quis dicat ſe libere amare virtutem, & pro arbitratu celebrare, fatetur honeſtum ſibi non neceſſariò probari, & ipſis etiam vitijs integrum ſibi eſſe non opprobrare. Gaudebit quodammodo Deus, ſe non poſſe non approbare virtutem, Heroum autem Encomiaſtes ſuum liberum iactabit elogium? Ipſe meum, qualecunque, vocabo coactum, qui non potui vos non laudare, ſi eſſe volebam ingenuus. Valete.

LECTORI.

SI præmiſſa fortè non videris, Lector, huiuſce elogij propoſitum breuibus accipito. Prædicabam Venetos cuiuſdam paſſionis impetu: cum paſſionem nomino, tu amorem intellige. Impetus non fuit ab illo diſſimilis, quo quis rapitur ad conuitium turpis non iuſſus, imo interdum honeſti prohibitus. Meus tamen conatus validior, quia Amoris in virtutem, & laudabilior odio in vitium. Non dicebam, vt Venetis à te impetrarem honorem, mihi laudem. Illi porrò honeſtant aliorum dicta ſuis honeſtiores in factis. Ego autem quam laudem aucuper? Oratoris? At nihil inueni; reperta iam, & orbi comperta narrabam: elocutionis verò ita neglexi choragium, vt potiùs ducerem, egregiè facta me turpaturum, ſi voluiſſem ornare. Vale, Lector, & qui candidus es, & laudatus, lauda Venetos, & meos iuua defectus.

* *
*

Vid. D. Ludouicus Modronus in Metropol. Bonon. Pœnit. pro Eminentiſs. & Reuerendiſſ. D.D. Principe Cardinali Columna Archiepiſc.

Imprimatur

Reuerendiſsimus P. Magiſt. F. Paulus de Garexlo Inquiſit. Bonon.

PANEGYRICVS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVAMVIS gloriari poſſint quamplures (Sereniſſime Dux atq; omni virtutum genere Excellentiſſimi Senatores) quòd vel hiſtoriæ ſpecioſiora, vel rhetoricæ floridiora decerpſerint, vt vobis non tàm ad fidem faciles, quàm ad delicias aurium excultas attexerent exornationes; non propterea huic congruam loco, aptamq; tempori laudandi vos facultatem omittam ego, ſiuè argumentum iam nouitatis gratiam excuſſerit, ſiuè pluries aſſumptum cogat relata ſæpè repetere. Etenim nec imitationis debet pudere ſcriptorem, nec rerum innouatores Promethei inuentioni ſuæ conciliant ſemper applauſum; indicio, quia noua, niſi alioquì ſpecioſa, ceù monſtruoſa ſpernuntur. Atquì ſuſpiciantur vtcumq; noua; an vetera deſpicienda, quibus antiquitatis honor accedat? Et laudis certè, præter innatas veneres, illud eſt priuilegium à tempore, vt fiat ex vetuſtate ve-

nuſtior. Poſt hæc, laus, quæ prius aſſerta poterat adulationis eſſe ſuſpecta, fit deinde repetita veracior. Quorſus hæc? An diffiderem inuentionis inopiæ, quaſi verò ipſe ab alijs prædicta coactè dicturus? Eò excreuit immenſitatis Veneta virtus, vt vel infantiſſimus quiſque poſſit eiuſmodi dicere, quæ ne profundus quidem rerum ſcrutator vnquam excogitarit. Nonnullos hactenus Oratores pro Venetis concertaſſe præconijs audiuimus; nullum viciſſe vidimus. Dixerit porrò quantumuis facundè quilibet, ac planè victor viſus ſit Oratione triumphaſſe, non cuncta tamen ita ſuperarit eloquio, quin debiliori ceſſerit locum, feceritq; reliquias encomiorum. Vſq; adeo ſermo quicumq; gloriæ Venetorum eſt impar. Tanta in ijs, quæ egregiè effeciſtis, celebritatis opulentia. Mitto igitur ſollicitus eſſe de inauditis anteà laudibus, cum minùs inuentoris nomen affectem, quàm, vt videar, licet dictis alienis vos opportunè laudaſſe. Vos alloquor, Patres Conſcripti, & vnà vobiſcum omnes Caſinenſis Ordinis Abbates, quorum Reipublicæ cum contigerit eodem, quo vos in ſæculo naſci;

eo-

eodemq; ſub ſigno Leonis (Leo, ſi neſcitis, Benedicto ex Romanis Anicijs inclitæ ſoboli fuit gentilitium inſigne) fælici pariter auſpicio, Pacis, vt vos, erexere vexillum, Ariſtocratica, vt vos, elegere Iura Regiminis. Quàm igitur opportuna laudatio, qua prætermiſſa queretur auditor! Quæ verò præmiſſa poteſt auditorum partem in alterius laudandæ partis æmulationem allicere; & ſi reperiet imitatores, vtriſque tàm doctæ, quàm perceptæ virtutis debitam laudum mercedem exoluet. At Præſules noſtri nullum à me præſtolantur encomium, omnem gloriam ſibi putantes obtingere, modò in tota ſua gubernandi ratione videantur vos ęmulari. Quod vt factis conteſtarentur apertiùs, ſua hìc apud vos mox celebranda Comitia deſtinarunt. Inſignem Caſinenſium honorem, Venetorum imitari Politicam! Religioſum Venetorum imperium Monaſticæ pietatis regulæ conformari! Nec alia in Senatu decernere, quàm quæ iubentur in Clauſtro! Sileant deinceps quicunq; adhuc, aut turpiter monitis, aut turpiùs operibus Politicæ nomen fecerunt ita ſuſpectum, vt vix eà credatur poſſe conſer-

 uare

uare Regnum, niſi Religionem eliminet. Vos enim docuiſtis iam Orbem experimento, Dominiorum nullum eſſe ad tutamen regni ſecurius, proximiuſq; fælicitati, quàm quod temperatur Euangelij præceptis, ac Diuinæ gubernationis Ideam efformat. Dominamini idcirco vos ita ſecuri, & fælices, quoniam in veſtro regimine rectoris omnium Dei ſimulachrum exprimitis. Ternario attributorum numero, Potentià, Sapientià, Bonitate regnatis, vt Deus. Acquiſiuiſtis ſola virtute Potentiā; Sapientiam præſtantis indolis comparaſtis induſtrià; Cœli verò, ac huius Soli clementia vobis à conceptione Bonitatem inſpirat. Sapientia veſtra tantum de Potentià diſponit, quantum Bonitatis iura præſcribunt. Quò circa in plano huius Regni Triangulum delineatis Diuinæ directionis exemplar. In hoc vno, Deum imitando deficitis: Deus cum dona ſuæ bonitatis effundit, licet donet (vt Theologorum more, & ore loquar) vltra condignum, ſemper tamen minùs prodeſt, quàm poſſit: hoc eſt, ſupra datum habet adhuc immenſum, quod dare poſſit ſine ſuæ detrimento poſſeſſionis. Vos benefacitis quantum

tum

tum poteſtis; minùs quàm concupiatis: Vnde Bonitas veſtra, quæ magis creditur habere de Cælo, longiorem lineam ducit, ita vt Triangulus veſter nō ſit Aequilaterus, vti Diuinus, at Aequicrures. Sed o! erraui metiendo parùm Trigonometriæ peritus; nam, eò quòd fortuna quoquē poteſtatē immeritis iniquo iure diſtribuit, relinquitur vobis Potentia, magna quidem, ſed minor veſtræ comparata Sapientiæ, quæ capacitatis humanæ terminat extremitatem. Vbi verò ſapientià vlterius progredi mortalibus denegatur, vos interdictas metas Bonitatis voto tranſcenditis; videlicet, cum opus eſt benefacere, velletis plus poſſe, plus ſapere. Quapropter veriùs Scalenum deſignatis, quàm Aequicrurem. Magna, inquam, veſtra Potentia, Sapientia maior, maxima Bonitas. Hæc tria ſunto mihi argumenta diſcurſus; quærant alij grauiora.

Potentiam veſtram (vt hinc ducam auſpicium) non ego dictis amplificabo, quàm vos mauultis intra moderationis confinia contrahere. Imperium vobis ſemper tutari, nunquam fuit dilatare propoſitum, niſi intra latera Turcicæ Lunæ, cuius ſi medij Orbis vacuitas impleretur,

retur, foret vaſtitas hominum in orbe terrarum. Sed ſiſtet errantes curſus infenſiſſimus Planeta, & qui nōdum abſoluit circulum obſtante Leone, non renaſciturus occidet aliquando in ſigno Leonis. In latiſſima tamen ſpatia extenditur hic dominatus, tametſi deſit Aſia: Imperij magnitudo non menſuratur immenſitate locorum, ſed temporis. Cæterùm infirmam penitus iudicatis ambitionem amplioris Principatus, quæ videtur de ſua ſecuritate paueſcere, ſi regnent alij; & quanquam plures occupat terrarum oras, attamen meditatur anxiè, quomodo Regno Regnum adiungat. Mens vobis vnica, vt quod ſummis iuribus poſſidetis, armorum viribus fortiter defendatis. Hæc eſt, hæc ſumma regiæ virtutis, ſtrictiores terminos ſeruare ab iniurijs immunes; ſicut velle magnificare rapinis, prædonis eſt error. Errat quicunq; ad Regnorum cumulum anhelat; ſed cogitur in pænam damni, atque iacturæ, direptionis enim diſcrimini vnum exponit, dum aliud inquirit. Quandonam vos inuaſiſtis aliena? Vobis veſtra ſufficiunt, quia vobis ipſis vos ipſi ſufficitis. Quot Vrbes armorum iure in veſtram

iam

iam vendicatæ potentiam, quas veriùs priſtino Domino donaſtis, quàm reſtituiſtis? Quot fidei veſtræ ſunt Prouinciæ commiſſæ, quarum, cum potiri, aut præſcriptionis, aut alterius titulo legis, in manu veſtra eſſet, immutato pignoris nomine, ſicuti reddituri cuſtodiſtis? Rarum eſt, Iuſtiſſimi Senatores, illudq; præclarum valde, vt quis finitimorum ditione cum poſſit ſuam augere, malit ipſis tutor aſſiſtere, &, ſi id ferat occaſio, ſuo eiſdem fauere diſpendio.

Faceſſat nimiùm latioris cupida dominij Quirinalis Reſpublica, quę in Iouis auibus, vti in præſagientibus ſignis, totius Orbis ſibi auſpicabatur Imperium. Ales ille Romuleus quaquà proſpiceret verſùm auidus oculus, illuc ingruebat volatu præceps, proinde quaſi vbique eſſet deprædari glorioſum. O voto ineptum augurium! Aliud breuì futurum Aquilæ portendebat inſigne. Illa (vt naturæ rerum obſeruatio deprehendit) vel implumis in ſenio, vel ſuis ſupra vires aggrauata pennis, in niduli ſe ſe condit anguſtia, vbi vlteriori prædæ impar, omniumq; quibus damnoſa fuerat, deſtituta ope, tandem emoritur. Eſt ſanè Aquilæ diſpar for-

tu-

tuna Phænicis, quæ ex mortuali nido renaſcens, vegetiùs renouata viuit in ſæcula. Alatus hic Leo Romanorum Aquilæ volatum exæquaſſet, rapacitatem exuperaſſet, ac vires, ſed vti magnanimus Rex, fortitudinis laudi iuſtitiæ gloriam aſſociat: non ſolummodò ſe aue fortiorem, vult etiam eſſe iuſtiorem. Hùc reor ſpectaſſe Antiquitatis inuentum, quod, ob repertam in Leone iuſtitiam, ad latus Aſtræę aſſignauit ipſi locum in Cœlo. Pariter habet alas Venetus Leo, non vt in latitudinem extendat Imperium, vt pergat ad ſydera, vt videlicet Venetorum Regnum Cæleſtium Regno continuet.

Quàm ſecurè ſuſpicimus Pacem ad Leonis validiſſimum pectus! Nuſquàm equidem Pax quieſcit tutior, niſi vbi Leo ſuccurrit. Deſæuiat quantumuis iterum borealis Vrſa, ac nouos per Italiam comminetur excurſus: timere ceſſauimus; Marciano Leoni ceſſit iam latialis Lupa cuſtodiam. Vertat aliò rapidos flatus nonnunquam infeſtus Aquilo, Aquilam non habemus amplius, quam diſpennet. Neque infra ſeptem Trionum rigore malefico, ſeptem Collium frigeſcent in cadauera necati Ciues;

iam-

iamdiu feruentis Leonis foti tutelà, ad viuacitatem vigoroſiùs incaleſcunt. O' Leonem! O' verè Regem, qui non tam rugis, quàm regis; æquè in bello ferox, ac ferax Pacis. Quis tibi indixit aliquando bellum impunè, aut inulto intentauit iniuriam? Et Pacis veſtræ, fæliciſſimi Patres, ecquis vnquam fœdera temerare ſit auſus, qui vindicis ad Leonis accurſum, effractis viribus, perterrita fronte, ſi minus ceſſerit victus, non receſſerit quaſi vincendus?

Vbique, Patres ampliſſimi, dominatus veſtri aduersùs hoſtes firmiter robur adnititur, ſed robuſtiùs Leonis ad inſtar valetis in pectore. Politici veſtri corporis vires non locorum interualla diſcriminant, non præſidiorum diſtantia diminuit, non diſiuncta membra debilitant; inteſtinæ ſunt, vigent in pectore, in corde, Venetijs. Cor Venetiarum appello Armamentarium illud militaris architectonices ſummum molimen, à quo, vt à corde ſpiritus, vigorq; martialis effluentes, non modò regni animant interiora, ſed exterorum audaciam exanimant. Adeat quiuis illud inuiſurus prodigium, &, ſi fabularum commenta calluerit, illa, vti leuiter

exaggerata, ſubſannabit, quæ fabricam Lemni, quæ Cyclopea Liparæ antra, quæ Mulciberi, Martiſq; regias, huius comparatione, in amplificandi licentià, fecerunt inermes. In eo fabulis fidem habebit, quòd iſtæ falſum, quod mentiuntur, reddũt magis hoc vero credibile. Admirabitur Pacis Aſylũ (eccur non belli officinã?) ſed omnino admirabitur Arcem quorumcũq; tormentorum penu præmunitam. Stupebit Aerarium multis ſudatum ſæculis, omnigenà bellici apparatus ſuppellectile, omnem ſupra fidem excultum: Orbis cenſebit, non Vrbis extructum propugnaculum. Vbi plura quotidie cuduntur armorum genera, licèt belli nulla ſollicitante formidine, quàm decertantium alibi videantur in prælio. Vbi plura oſtentantur arma ab hoſte ſubrepta, quàm ibi facta, plura victoriarum trophæa, quàm victorum exuuiæ. Vbi timor ipſe ſecuritatem ediſceret, nec tutius vſpiam confingeret ſibi latibulum.

Quidni perhorrebunt hoſtes munimen iſtud, inceſſanti virium roboratũ auctario, auctumq; extortis tot ab inimico præſidijs? Quod nunquam aggredientur imparatum, neque adorien-

ſientur incautum? Sic iugiter in belli præparatione moramini, vt ne vnquam pace priuemini; & ſi veniatur ad pugnam celeriùs euincatis. Pax multis eſt periculoſa ſecuritas, quæ in deſidiam laxat hoſtium receſſui, vel priuationi confiſos, interdumq; acerrimo bello ferocior vincit bellis inuictos, necat ſine gladio ſecuros. Vos cum ſago non exuitis militaria conſilia, neque cum toga voluptatum licentiam induitis. Poſſunt mutari rerum aſpectus, veſtra ſtat immutata prudentia: dubij caſus occurrere, conſtans deliberatio ſuccurrit: incerti minari ſucceſſus, creſcere difficultates, his & pluribus vna, eadēq; omnibus opportuna conſulit prouidentia. Plerią; Principum arma in pace ſuſpendunt, obliti forſan, ex victoria ſæpius bellum enaſci, ſecuritati plerumq; commiſceri periculum. Pax Veneta eſt quoddam belli præludium, ideſt, in otio pacis belli negotia diſponitis. Subita namq; virium communitio ſi alijs etiam, vobis præſertim probatur inefficax, quos non fugit commota faciliùs tractari, quàm quieta. Quid, quod machinetur inuidia in veſtræ poteſtatis iniuriam? Et quamùis inſidioſa machine-

 tur.

tur, qualis inde ſuperuenturus eſt vobis inopinatus inſultus, qui, cum ciuili fælicitate fruamini, vndique expectatis aduerſa, ne vnde minus præuidentur, erumpant? Et quanquam erumperent, quid allatura mali, præuiſa iam, & præoccupata remedijs? Quo fit, vt præſentia diſcrimina non magis vos terrefaciant, quàm dum cogitabantur abſentia: Non armatur tum Venetijs, cùm timor arma miniſtrat, ſed dum nihil inſtat hoſtilitatis, opinor, ne arma veſtra formidare conſueſcant. Propterea crederet vnuſquiſq; vos qualibet craſtina die claſſes expedituros vicinorum in damnum, & nihil auerſamini Religioſiores, vt impium, quàm non inuadentes inuadere. Argumento, quia tot terrà, mariq; feriantur legiones, quibus, vti minacibus armis intenditis nocentibus duntaxat perſuadere terrorem, non inferre nocumentum innocuis. O' fælicem Europam, ſi ſimilis Dynaſtarum moderatio contineret in ſtatione caſtrẽſi promptum militem, nec ſolueret ad moleſtiam aliorum! O' piam Politicam, otioſo bello Pacis aſſidere negotio! O' tutam regnandi peritiã, tametſi laceſſeret, vrgeret hoſtis, liberale, ac fru-

ctuo-

ctuoſum ducere perparùm à ſuo iure decedere, modò preliū euitetur, vel differatur indictum! Ita vos, optimi Senatores, ita, quamuis indubius victoriæ iuraretur euentus, antiquiùs tamē habetis triumphare ſine certamine, atq; à conflictu deflectere, vel aliquo pecuniarum impēdio; minores rati vos, & opum, & ſanguinis paſſuros impenſas in pacis calamitate, quàm in belli proſperitate. Ideò antè ſoletis concertare cōſilijs, deinde armis; prouocatoſq; in certamen illicò ruere furoris prædicatis indicium; Et (ſi fieri poteſt) declinare congreſſum, pietatis, non timiditatis exemplum. Ecquis neſciat dilatione contentionis inueniri modum reportandæ citrà ſanguinem pacis? Hæc Pax potior eſt vobis belli ſperatà victorià, quam etiam, vt feralem deploraretis, ſi vel plurium inimicorum nece, vel vnius ſubditi compararetis interitu. O charitatis cautionem! vnius amici impenſiùs incolumitati ſtudere, ægrius autem hoſtes mille perimere. Cara quidem Pax eſt, ſed empta carè, quæ bella conterminat; carior, & ſine pretio, quæ rixas anteuertit, quæ damnis obſtat, & cædibus. Alij deniq; vix noſcunt, & pacem quærunt, niſi

priùs

priùs contorti ſint caſtrorum ærumnis, illamq; tantummodo exoptant, dum amiſerint, cum receperint, anteacti mali patientiam ſtatim obliti, contemnunt. Deſiderium incautum, ſi velint abire præcipites, vt poſt lapſum exurgant. Sed vos ab alijs expulſam, errantemq; pacem reduxiſtis hoſpitio, quam plurium ſæculorum poſſeſſu retentam feciſtis iam publicæ Rei Patrium emblema, illiuſq; nitimini perpetuitate gaudere, nunquam exhæredari. Merentèr idcirco ſeri deliberatis de prælio ineundo; noſtis etenim in bello bis non licere peccare, nec eiuſdem arbitrij eſſe inchoare, & terminare cõflictus, cuius initium ſi ponat incõſulta temeritas, finem ſors comitatur infauſta. Non ſecus ac expoſito ludo pecunia fit iuris alieni, ita Reſpublica bello commiſſa, incertum fit, vtrius ſit conceſſura dominio: Vſquè eò pugnæ dubius ſemper euentus: Etiam cum debilioribus ancipiti Marte pugnatur. Veſtra hæc rei militaris ratio, quantæ, ò dignitati eſt Senatus Conſulto, in pace ſolito fælicius auctoritate clarere! Veſtrum hoc ſtudium pacis, ò quantæ eſt vtilitati ſubditis, Ciuibus, omnibus! Quorum opera nullis bellorum im-

implicita curis, tota vacat, vel ſeruandis opibus, vel augendis induſtriâ. Sed hæc regnandi methodus, quanto eſt cultui Religionis, quãto profectui? Dicimus omnes, vos ideo tantoperè Paci cauere, ne effrænato belli furore pietati detrahatur. Tonet armorum ſtrepitus, Diuinæ legis vulgator non audietur, ne dicam, exaudietur. Ecce propterea vobis fructuum meſſis vberior, fructuum pacis, innumeræ inquam, vitæ cõmoditates, quibus frui Venetos, quaſq; participare peregrinos vbiq; terrarum fama communicat. Vbiq; locorum decor Venetiarum, fortuna, fælicitas decantantur, adeo vt hominum plurimi, quamùis longè lateq; peruagarint orbem, æſtiment ſe nihil, vel parùm vidiſſe, Venetijs inuiſis. Concurrunt exinde ad hanc Vrbium Helenam Parides, ſed rapti: nec illos tam diſtenta fusè diuortia locorum, non tam immenſa montium iuga remorantur: vel non tam infeſti latronibus ſaltus, non tam vaſtè inter labentes Oceani deterrent, quin ad hunc veriùs, quàm Hyberboreus ſit, fortunatum populum approperent. Hìc nemo alterius inuidere, coadiuuare quiſque fælicitatem: Hìc Cęli benignitas certare cum elemen-

men-

mentis ad hominum adiumentum. Hæc ciuilis Inſula non bifera ſolum, vt de illa fertur, quæ eſt oppoſita Celtis, ſed quotannis millies fertilitatis fruges, ipſa ſterilis, vt mireris magis, emittit. Mittit hùc Aſia, hùc mittit alimoniam Africa, hùc confluunt Europæ tributa, Mundus totus Venetorum vitalitati debitor, hìc debitum ſoluit tot vitæ ſubſidijs. Vbinam hominum videmus hæc, dicam veriùs, prodigia, quàm priuilegia naturæ? Vt deficiat terra, & ſufficiat quiuis terræ prouentus? Vt, vbi aptum nihil ſoboleſcat ad victum, ſint horrea, à quibus plurium prouinciarum annona diteſcat? Dum verò perueniunt hoſpites ad Vrbis huius conſpectum, quis primò proſpicientium ſtupor? ſenſim à ſeipſis ipſi rapiuntur, non amplius oculo hiſce inaſſueto ſpectaculis credunt, ac quaſi illudantur imagine, quærunt videant ne, an cogitent. Mens ipſa, cui capacitas eſt cõcipiendi id etiam, quod eſſe non poteſt, faciliorq; facultas quodcũq; confingendi mirandum, fatetur huius ſe Vrbis fuiſſe incapacem Idoli. Quicunq; mirabantur antea deſcriptam audientes, videntes reputarent quid ſupra miraculum, ſi iudicium adeſſet attoni-

nitis. Concepta deſcriptionis idea inferior eſt ſuo ſimulachro,quia maius eſt (dicam cum ſcolis) reale Venetijs, quàm id quod poteſt ab intellectu confingi. Et ego,quod vix capi poteſt, conor exprimere? Approperate gentes,aduolate populi inuiſere, quod narrari nō poteſt, quod enarratum non queit, vt eſt apprehendi, quod apprehenſum longe erit à vero diſſimile. Nuſquàm dabitur vobis ſimilem vrbem intueri, quam circùm, perq; mare præterfluit vtrum in ornatum illius neſcitur, an in obſequium. Incertum eſt etiam, nunquid præfixas ſibi ripas exundet ad ſuæ Reginæ tributum reuerentiæ, an verò ad tutamen occurrat. Crederem ego, ne parentis Oceani vaſtitatem inuideat Adriaticum; ne vè propriæ pudeat anguſtiæ, Venetiarum ſe inſinuare magnitudini: Rurſuſq; ne alioquì Mare cedat fluuiorum diuitijs, Tagi, Pactoli, Gangis; vtq; confratrem Aerythræum gemmis excellat, ſuum exire alueum,ita enim vnius Vrbis amplexu alit, alluit, ambit mille theſauros. Omnia quæ alibi, vel indulgentià naturæ, vel artis beneficio videbitis rarò, vel inſperatò quæretis, cumulantur Venetijs, licèt illorum

nullum inſit naturæ veſtigium; defatigatæ artis conatus extremi ſupplent hìc naturæ vices, vt totam laudem detis Venetorum ingenio. Poteſt ne quis iſtud ingredi forum, quin poſt aliquot ad diuerſa contuitus, hæreat veſtigio dubius, an ſit in ſpatio amplius? An ædibus, ac turribus celſius? An productius periſtylis? An ambulachris commodius? An omnium partium ſymmetrià concinnius? An poſtremò D. Marci templo ſplendidius? Suſpiciuntur paſſìm turrita palàtia, quæ dixiſſem marmoratos ſcopulos, niſi illorum elaborata, ac deterſa facies moneret, naturam in ſuis operibus eſſe arte rudiorem. Spectatur Templum ſciſſis vbiq; lapidibus,diſperſo vbiq; auri,gemmarumq; textu teſſellatũ,quà pictis,quà ſculptis æquè pretioſũ. Omnino memorati totiès Babylonici muri, Aegypti Pyramides, Dianæ delubra, horum ſimilitudine vileſcerent. Plus hìc auri, plus laboris, plus temporis, plus artis dicetis impenſum. Quanquàm iſthæc; minora tamen ſunt huius Ciuitatis, quæ olim maiora orbis fuere miracula. O felices Venetos! &,ſi pluries cogor idem repetere, non has delicias,non veſtras opes, non

re-

regnum, regnandi methodum inſpiciam.

Quotus autem quiſq; non autumaret in hac omnium alliciorum affluentia, euirari viros, & voluptuoſorum in morem emolleſcere? Et tamen ſi porrigat arma irritata neceſſitas, quanta virtutis præſentià prælium audetis! Quanta deſperationi creſcit audacia, cum nulla quietis fiducia ſuperſit! Non deſunt Neptuni Venetijs, quibus etiam vt ſocij Martes accedũt, qui quoſcunq; terrent, coercẽt, vincunt, qui huius Cęli tẽtent ſerenitatẽ inobſcurare belli turbinibus, vel huius maris tranquillitatem interturbare procellis. Norunt omnes, quàm ſitis in ſuſtinendis hoſtibus idonei; ſi verò inferantur mala, quàm in ijſdem reparandis, vel propulſandis expediti. Tam porrò conſueſciſtis inter vmbratiles fori conuentus expatiari, quàm inter caſtra ſolis ęſtibus apricari: Iuxtà belli toleratis incommoda, ac delicijs in pace fungimini. Pari peritia togam, & loricam induitis, hanc, vt fortiter, illam vt faciatis cuncta ſapienter. Exercitus tubæ, ac tybię chorearum, diſcrimine nullo, iucundæ. Thalamo præterea tutior campus, dummodo ſit pro iuſtitia, pro libertate, pro pace pugnandum.

Excitor pugnacis veſtræ à cogitatione virtutis, quam cùm legerim mille triumphos reportaſſe de hoſtibus, non poſſum impetũ continere ſermonis, quin vnam ſaltem pugnam modo ſubnectam. Liueſcunt adhuc Trhacico cruore ad Epiri littora fluctus: voluuntur etiamnùm lacera per mare cadauera, ac illæ ſyrtes hiant ſemiſepultis biremibus piraticæ turbæ, quę Adriaticas Gades, fædus iampridem initum aſpernata tranauerat. Aduertiſtis, quò mea ſpectet oratio? Mecum oculos collimetis ad Turcam, qui tribus ab hinc annis, maiori audacia licentior in veſtræ ditionis pelago, obuia quęq; ſuę immanitati deuouerat, ac quaſcunq; offenſas opes promiſerat rapacitati. Prædo rapinis, dirus inſtabat exitijs, auriq; canina fames, citiùs quàm expleri, cæperat voratis irritari rabidiùs. Feſtinabat ideo celer ad Latium, illius Templi, in quo tota in lachrymas teneritatis effuſa aduentantium pietas adorat domum, domum Diuinitatis, cum humanitate coniugij, Chriſtiq; nati conſciam infantiæ; illius inquam templi, dicam aptiùs, lateritij Cæli, populaturus (proh ſcelus!) pro auara libidine theſaurum, & religionem flagitio

ſtu-

ſtupraturus. Quis (heu!) pro Latio miles accurret incurſanti piratæ? Triremes veſtræ. Illæ ipſæ triremes ad iſtius maris inſtructæ cuſtodiam, quæ in hoſtium procellam continuò inſiluerunt imminentem amolitæ tempeſtatem. Reſtitit diù ſeſe profligantibus vobis barbara phalanx, ſicut numero nauium, ita temerarià confidentià ſuperior; at veſtra præualente virtute, ad vitæ vſq; deſperationem mulctati, fugientibus ſimiles præcipitarunt in littus. Ad littus autem? Fortaſsè nouum facturi periculum vtro valeret magis Venetus miles, nauali ne,an prælio terreſtri? An diffiſi ventorum pernicitati, quam ad ſuam ſalutem experiebantur vt tardam? An verò, vt, quod manibus deſperarant, pedibus molirentur effugium? Omnis,pręter ad mortẽ Turcis interclufus eſt aditus:Naufragium in terra fecerunt, cuius nec tabulã inueniſſent in mari. Quò ruebas furiosè Scitha? Quaſi venaris beluas, vt olim ad Caſpios, dum nos inſectaris incurſibus. Tuæ cedebant illa monſtra feritati, vt minùs viderentur te fera; Mahumetica diritas ſuperari non poteſt, niſi pietate Venetorum. Neſciebas ergo Adriaticum ſinum

graſ-

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMAN.

graſſantibus piratis interdictum? Latinam Religionem, noſtram ſecuritatem Venetorum virtuti concreditã? Ipſos eoſdem pro noſtro excubare tutamine? O ſtolidum! Diſce modò, vel ſerus, Rempublicam Adriæ non ſibi ſolùm, ſed Italiæ, & præſertim Latio pugnare. Diſce fædifrage, nulliuſq; fidei aſſertor ictis cum Veneto ſtare fæderibus, atq; infideli quoq; ſalubre eſſe non peierare. Iuuabit te intra Ionium tuam cohibere ferociam; iacta te ibi, ſed vetitos perhorreſce confines. Tot tuorum excidia, tot receptæ clades inclamant fatale Turcæ conflictari cum Venetis: Illa præſertim ad Echinadas ad omne æuum memorãda laniena: diſiecti Amurathis in Ionio: perfracti Vathazi in Heleſponto: plures aliæ parùm diſſimiles, omnium verò celeberrima illa exterminatæ penitùs ingentiſſimæ claſſis ſeptingentis nauibus conſtructæ ad Iopen euerſio. Si alta hæc, aliaq; vulnera non vltra dolêbant, admoneri poteras à cicatricibus vt timeres, quas indelebili ſtigmate Mahumetanis frontibus, & tergis Marcianus enſis inuſſit.

Hic ad alios me conuerterem, potentiſſimi Heroes, ſi quos vobis hoſtes agnoſcerem, horta-

taturus fortè, ne laceſſerent vires veſtras; Sed nullum, ſi excipiatis Turcam, inuenio. En anticipatum Bonitatis veſtræ argumentum: & potiſſimum eſt, nullum, vel paucos hoſtes habere. In omnibus terræ regionibus Adriatica virtus, ſed præcipuè cõmendatur in Aſia quibuſcunq; modo tremenda Principibus. Nulla ibi Prouincia viſitur; Vrbs incolitur nulla; nullus in Aegęo Boſphorus pertranſitur; Libici, vel Mediterranei nulla conſcenditur Inſula; nulla deniq; penetrantur tranſmarina loca veſtris non famoſa victorijs, Leonis alati non rugitu perterrita. Reuereantur igitur (& ſi Thracibus incaſsùm reuerentia iubetur) timeant ſaltem barbari Ionicum ſinum, vbi ſublimarunt Abylam, & Calpem Hercules Venetiarum, ad legem, ne accedant, ad terrorem ſi peruenìant, ad internecionem, ſi plus vltra tranſnatent.

Se ſe nunc mihi dat in conſpectum victoriarum veſtrarum ſeries innumera; ſed parco proponere, quicquid pro rei dignitate non poſſum exponere. Quod multorum puto triumphorum epilogum illud eſt, vt demiretur Mundus, vos ſexcentiès cum fortioribus Aſiæ, Europæq;

Po-

Potentatibus congreſſos, nec tamen vnquàm euictos: cum autem dico congreſſos, ſi non ſemper, at certè, vt plurimùm victores intelligo. Veſtra viget adhuc auita potentia, & (quod probat inuincibilem) poſt tot regnorum excidia, vires etiamnùm enutrit ipſa ſuperſtites, propè dixerim non imminutas. Pleni viribus, at virtute pleniores, eſtis autem fęlicitate pleniſſimi. Nemo nunc vnus viuit, qui ſe Veneti nominis hoſtem oſtentare præſumat. Ergo omnes iuxta mecum appellēt vos omnium potentiſsimos, quia nullum hucuſq; victorem adoraſtis, nullum extimeſcitis, nunquàm ſceptro deſueuiſtis, plerumq; triumphatores, ſemper domini; tot Reipublicæ corruerunt, perierunt tot regna, tot ſæcula præterierunt, principes Europæ Monarchiæ deficiunt, vobis iam verò etiam fortunatè ſoſpitibus.

Non vltra à Baltici littore, à vidua ſolibus plaga Gothus ſuo inclementior Cęlo auſus eſt ad Italiam appellere, poſtquam copijs veſtris Orientalis Imperij iunctis exercitui, expúlſus erupit: Faſſus eſt ingenuè tum Graiæ militiæ Dux Narſes, opitulantibus vobis exturbatam

ma-

maritimo illo certamine Gothicam Claſſem. Quid tunc dicere barbarus ille, cum aduerteret virtutem Italicam in Venetorum pectore rediuiuam, quā putaſſet tot infirmatam bellorum vulneribus, tandem funerari? Quis horror in hoſte, dum videret Romanorū libertatē, quam potuiſſet credere iamdiù ſeruitio ſubigem viluiſſe, in infanti adhuc Imperio vegetiorem, receptas priùs iniurias vltum ire? Vſquè eò conſternatus eſt animo, vt iterato mox prælio perfractus ſit, penitùſq; ab Italia, terrà, mariq; prohibitus. Perterrefacitis nunc etiam ſola famà Saracenos (ſi tam de tot Latinorum millibus malè merita peſtis, adhuc orbem infeſtat) qui non ſemel à vobis accepta clade, nouiſſimà verò ad Barium pugnà exterminati ſunt, atquè, quaſi non vltra reuerſuri, fugati, orbe toto depulſi. Non ab illo, adhoc vſque tempus, vrbium vaſtator Hunnus, regnorum prædator Alanus, hominum populator Gothus Italiam adorſus eſt, quo (idem ferè dicebam initio) eius ſalutis ſibi deſtinatas vices explere cæpit fortiùs Leo, poſt Aquilam. Poſſum igitur veracior, exclamare. O Rem inuictam, Veneta Arma! Ve-

racior inquā quàm Taxiles de Roma. Ita fęlices, ſauſtæq; cedunt Reipublicæ curæ, ſi ad pacis officia, Pax, ſi ad expeditiorem Iuſtitię praxim, Iuſtitia, ſi ad Dei cultum referantur.

Auſpicor hinc fortunam poſthàc fore infortunijs exhauſtam, quibus res veſtras exagitet: ſatis vos ſuis vicibus exercuit, delaſſata iam, duratæ aduerſitate conſtantiæ ſuam ipſa inconſtantiam dedit innoxiam. Nihil antèa intentatum omiſit, vt perderet totum, quod virtus veſtra parauerat. Deportarat vos virtus ad plura regna triumphantes in Aſiam: detruſit vos fortuna ad vſq; Venetias penè triumphatos. Siriaca vaſtitas veſtris progreſſibus aliquando videbatur anguſta; anguſtia Venetiarū fuit interdum vaſtiſſimum regni. Coniurata quippè ſors inuida cùm ęmulis veſtris, omnes priùs veſtras depopulata prouincias, hāc poſtremò totius principatus cinxit obſidione Metropolim. Hoſtis infenſos in his ęſtuarijs ſcopulos aggeſſit, quibus colliſę eminùs Venetię naufragarentur in vado. Inſulas erexit, valla, loquor, & arces, vbi detonaret tormentis in Vrbem. Conſultum irritandum, an irridendum, voluiſſe homines diruere

Ciui-

Ciuitatem, quam nùm poſuerint ſuperi, adhuc ambigitur? Intuliſſe tamen vim inuiolatæ Vrbi, sẽper erit gloria obſidẽtiũ, quamuis vana, & ſacrilega. Quàm lætus hæc olim triſtia cõmemoro, cũ in proſperis iucunda ſit calamitatũ recordatio, & in bonis iuuet meminiſſe malorum! Vellem ideo ſpectatores parùmper potẽtiæ veſtrę cum fortuna luctantis. Abſtulerat iſta vobis prouincias, opes, regna, & quicquid ſuæ inſtabilitati ſubijcitur: rapuerat quod ipſa non dederat, vt contra vos ſeipsà videretur iniquior. Quid deinde moliatur maleficij? Solæ Venetiæ vobis relinquebantur, animus, & virtus; at hæc æternorum connumerantur in ſerie. Quid, rurſus, damni machinatrix excogitet? Obſtinatæ ſtupeatis inuidiam: Fortuna alioquì inſtabilis, aduersùs vos diutiùs perſtitit, quàm credi poſſit. Præliata vobiſcum perdidit, quod habebat, nomen ſcilicet, & morem inconſtantis. Pertinaciter morata eſt, quoùſq; virtute pelleretur. Illud ſępiùs huius Furiæ viſum eſt ingenium (an temeritas?) vt debiles breuì inſectetur, mox fugitura; congreſſa cum fortibus mauult fugari, quàm fugere. Verum eſt, eruditiſſimi Viri, ſij

enim eſtis vos, vt martiales præter titulos doctorum etiam congrua nuncupatione vocemini) verum effatum eſt, & ſapientum plauſu firmatum, ſiniſtram fortunam eſſe virtutis chalibem, cuius ſępiùs icta verberibus in ignem accenditur. Vos herclè nunquam fortiùs feciſtis, quàm dum viribus ferè omnibus diminuti: Tum minores effecti, viſi eſtis maiores vobis ipſis antèa maximis. Virtus veſtra obſeſſa, & tot compreſſa contrarijs, ac ſi antiperiſtaſim indignata eſſet, ſeipſam extimulans inualuit ita, vt confracto carcere, propulſis aduerſarijs, recuperatis ablatis, ſe ad priſtinam ſui dominatus ſphæram extenderit. Vidiſtiſne fortuna, vt dederit virtuti veſtrę victas manus? Vt ſe vobis dediderit victoribus? Quis mihi indicet hoſtes valoris Veneti, quos ego non oſtenderim victos, ſin minùs, vincendos? Sed illis ampliandā relinquam Potentiam veſtram, qui vobiſcum contendentes redacti ſunt in miſeriarum anguſtias. Illis extollendam laude, à qua ipſi depreſſi pertimeſcunt aduerſam. Illis celebrandam, qui fęderatam implorant. Dum de hac ipſe ſileo, facundiùs inter omnes exaggeret Italia quan-

tùm

tùm poſſitis, pro quà ſepè numerò pugnaſtis, quaſi pro aris, & focis; cuius fortunarum propugnatores extitiſtis, & defenſores acerrimi. Quoties Italię reſtituiſtis Italiam, quę peſsùm non tam hoſtili premenda iugo, quàm iniquis ierat pedibus proculcanda? Non vlteriùs recordabor Potentiam veſtram, quam ipſi vos obliuiſcimini, illius tantùm memores cũ eſt iuuandum. Sit hęc pro breuitatis affectu libaſſe ſatis: ad veſtram inſtruenda Sapientiã feſtinet oratio.

Non me pręterit Senatum Venetum politicorum eſſe academiam, quę quot ciues, tot Platones enumerat. Non dixiſſem initio, vos Diuinę regendi rationis imitatores, niſi nouiſſem hìc regnare Platones. Omnem daretis operam contemplatiuæ, niſi ad vitam actiuam deſcendere, cum publica rès eſt iuuanda, pretium eſſet operæ: nimirum, illam, quam meditabatur Plato Rempublicam in veri iuſtiquè veſtigatione, Deiquè cultu conſiſtentem, inſtituitis. Iſtam gubernandi partem elegiſtis, & optima eſt, & non auferetur à vobis, quia ſecurior, quia Diuinæ vicinior. Credant demùm omnes, aut non dari poſſe diuturnam Rempublicam, aut

dan-

dandam, fore Platonicam, Diuinam intelligo. Solus Plato moribus informandę vrbis modum edocuit; quam ſine humana, Diuinaq; iuſtitia, ſine ſeniorum conſilio, Diuinæq; fauore ſapientiæ, non poſſe primò proſperè conſtitui præſagiebat, nec conſtitutam regi feliciter. Proinde ſit neceſſaria iuſtitia, ſed ſapiens; Vel ſapientia, ſed iuſta. Hæ vna, & altera virtutes, ſeu (vt mauultis) vna alterius tamen ſubſtantia, iſtius dominatus eſt regula. Doctiores vobis non habuit Plato diſcipulos.

Sapientia veſtra, qua poſſent Politicæ erudiri gymnaſia, penè ſilet dum eſt docendus populus: Vnicum dogma proponit, idemq; compendio. Quare? vt facilius ediſcatur. Eximia docentis, & docendi peritia! Illud autem eſt, vt omni quiſq; conatu publicæ rei ſtudeat fęlicitati. Iuſtitia verò, quę ferre poſſet leges Vniuerſo, quęq; nihil tam poſcit imperiosè, quàm obediri, nihil ciuibus imperat; nempè, vt ſeruet liberos omnes. Prohibet duntaxat vnum, illudq; malum: arbitror, vt tollat peccandi libertatem; erat idem dixiſſe, vt faciat beatos ſubditos. Prohibet inquam, ne vlli iuri fiat iniuria. O huma-

nam,

nam, ò piam, ò Diuinam legem! Ad hæc premiſſa, quę conſequentia fęlicitatis, cum bonis ſemper ſuccedāt meliora principijs? Nihil aliud deſideratur beatitati ciuili; Nihil ſupra exquirit Deus ab homine rege; Nihil ipſe adderet vltra, ſi ſolus abſq; rege vicario homines gubernaret. Vt alieno quilibet bono deſeruiat? Ne vlli fiat iniuria? O legem amoris! O vos iuſtos doctores; & ductores hominum! Quin aberraret homo, & à communi declinans, ad propriam deflecteret vtilitatem? Quin impellentis genij ponderibus in nefas omne propenderet? Quin demùm rectitudinis deſtituta lumine ratio, poſt primæ noxæ contractas vmbras, ferretur pręceps in noxium? Talia docemur docente nemine; erudimur ita ignauiſſimę naturę documento; & deſtinemur licèt in communicationem aſſociandi, ab ipſo tamen quo naſcimur die, iam natis indicimus ſocietatis interitum. Diſcordes nobiſcum gerimus animos: verbo vno, quot exorimur homines, tot ignari, inuidi, iniuſti. Quanam ergo validiùs ope poteſt hæc hominis malè nata coerceri propenſio, aut rectiùs hæreditata emendari malitia, quàm

amo-

amore pręcepto, prohibita iniquitate? Fuerunt hæc fundaměta in quibus totam regiminis molem erexiſtis. Hæc ſapiens Iuſtitia eſt clauus, quo in nauigio politico fęlicitatis perueniſtis in portum. Quàm diſpar initium huius Vrbis ab illa, quæ à rixantibus fratribus extructa, priùs fuit, quàm Monarchia Tyrannis, antè laniena, quàm regia, priùs habuit fratricidam, quàm regem! Decebat, ſi vnquam alias vrbes, Venetias certè Ariſtocratià moderari; & quòd regimentum hoc æternitati ſit propius, & quòd Senatorum conuentus ex reliquijs coaluerit lectiſſimæ gentis Italicæ, quæ poterat de nobilitatis, pietatiſq; primatu contendere: eò aut præſertim magis, quia viri optimi mutantur faciliùs in Optimates.

Videtur mihi modo videre priores Italiæ Ianos, iuſtiores Cameſes, ſapientioreſq; Saturnos, non poſt totius terræ naufragium, ſed pôſt fædiorem Hunnorum alluuiem; non à Scythica Saga, à Latinis oris; non ad Tyberim Oſtia, ad Riuum Altum commigraſſe; non vt primò Romanam conderent, ſed Adriaticam gentem; vel dicas, vt Romanam reformarent iuribus in

ſan-

ſanctiora mutatis. Hunnicam potiùs execratus, quàm barbarie fugatus virorum ille delectus, has commeauit ad inſulas, vbi quaſi in receſſu conquieſcens, viribus paulatim auctus, locique difficultate vallatus, cæpit hoſti reſiſtere. Acceptas vno concordiæ tenore ſedes incolebant; erectóq;, quem demiſerant animũ, recentis incolatus tutamini inſiſtebant. Iam priuatæ opes congerebantur in publicum, & ciuitas amoris, iuſtitiæq; vnita fœderibus, plurium Optimatũ in cõmunẽ vtilitatẽ adminiſtrabatur. Aequũ erat, vt iã pridem Romanorũ mancipata Libertas manumitteretur, & antiqua, atq; adeo antiquata Reſpublica, renouaretur, conſeruaretur, perenneretur in Veneta. Direxit hæc inoffenſum ad æternitatem pedem, cum fatales cæteris publicis rebus, ac regnis annos tranſegerit. Quintum ſæculum, ad quod Principatuum pauci peruenerunt, & quod Romani fuit vltimum ſenium, Veneti vix fuit infantia, & ſi ad illius proſpicias æuum, ne vix quidem. Quod illis, vt veſperus, iſti matutinum illuxit, & cum in magnitudinis, amplitudinis, altitudiniſq; meridiem aſcẽderit, producet ſine occaſu ſolſtitium.

Virgo videlicèt Veneta, nec Medeæ pharmacis indigebit, vt in firmiorē reuiuiſcat ætatem, nec balneis Canathi fluminis, quibus aſperſa, ſenectutis ſitu deterſo, floridioris vultus rubore niteſcat.

Sed præſentio, quò vocer, quòue veſtra præcurrat attentio. Expectatis indubiè, donec, conditis iam Venetijs, eiſdemq; ſuis præfectis Saturnis, commemorem auri reſtitutam ætatem. Fit conſequens, & opportunum, Saturnus videlicet fælicitatis eſt non tàm nomen, quàm omen auſpicaciſſimum. Dudum ergo à Scythicę Orientali regione gens, de qua incertum adhuc qui hominum fuerint, Hunni, an Gethæ, an Feræ, Italiæ ferrum intulerat. Dixiſſes, quaſi à Cadmæis aruis ferreas militum ſegetes in ruinam hominum, & annonam ad nos fuiſſe conuectas. Dirutæ vrbes, depopulatæ prouinciæ, regna vaſtata Italiam duxerunt in fabulam, in nihil; in ea priſcę proſperitatis veſtigium nullum; eò tantummodo fęlix, quòd infęlicior eſſe nō poterat. Tum Iuſtitia, ceu exul per omnes iam euagata confines, nuſquàm tamen æqualitatem enacta, vt ſuæ integritati caueret aduolauit ad Cęlites.

In-

Inter homines ius omne erat in ferro. Hunnus iuris etiam humani contemptor, non ſatis ſuæ crudelitati putabat factum, ſi tantùm deſæuiret in homines, niſi dirior crudeſceret in cadauera. Humani quippè cruoris ſitibundus æquè, ac lacerati membri famelicus, tum ſaginabatur ad lautitiam vſq; (iam dicam?) cum eſſet (ohe?) conuiua mortuorum. Pietas fuiſſet hominum extitiſſe carnificem, niſi quoq; carniuorũ. Proh neceſſitas, quid me recordari cogis, quod ſinè horrore non poſſum? Calamitatum minor erat mori, proindè gratiùs quàm viuere; ſed difficiliùs inueniri ſepulchrum, quàm necari. Eiuſmodi in Latio voluebatur ſęculum ferreo ferocius; dum tandem aliquando hoc veſtro ſub Cęlo Pacis inſignia, diù ſuſpirata Iris explicuit. Nunquàm, nec vſquàm ſe ſe libenter triumphalem arcuauit in circulum, quàm tùm mox futuras de Barbaris vaticinata victorias. O quam gratum, plures poſt nubilos dies, tetram poſt aetheris faciem, truces poſt Cęlorum minas, ſuſpicere dein Solem innubem, mirariq; Cęlum ad ſui delicias aſpectus Thaumantidis mentiri colores, & experiri ſphęrarum illa rotantium ſuæ felici-

tati famulari volumina! Cępit proſperum Numen veſtros fortunare ſucceſſus, quia vos à Cęlo, à Iuſtitia, à Pietate cæpiſtis. Quò trhaor? Intempeſtiua de veſtra Bonitate antecedet oratio? Omnino: neceſſarius eſt error inuerſę methodi. Non poteſt fieri, Patres ſemper optimi, vt actiones veſtræ ſinè pietate terminētur, cum Potentia veſtra ſit ſapiens, Sapientia iuſta, & pia. Pietas igitur, & Iuſtitia Venetijs fęlicioris metalli ſęculum induxerunt, quod ſolummodò format populi correcta ſocietas, nulloq; ſcelere labefactata morum integritas. Eliminata iniuſtitia virtutum omnium populatrici, recępiſtis quaſi poſtliminio redeuntem Aſtręam, quæ infantis tum Vrbis ſe fecit Colonam; quæ nec deinceps vos vnquàm deſeruit, ſolitum quaſi locum petitura Zodiaci. Si enim Libræ vicinitate delectetur, ſi gaudeat aſſiſtentià Leonis, adeſt iſte Venetijs, & legū æquè librata bilanx: huius iuribus, illius præmunita ʃuribus, Virgo hìc manebit ęternùm. Quis eat inficias aureā ad hęc ferreā tēpora ętatē durare Venetijs, vbi ferrū videt omne proſcriptum? An aliquis cogitur in miſeriam violentię, in ſupplicium torquentis timo-

mo-

moris,in tormenta intentatæ mortis,vbi ferrum non dominatur nec minatur ? Et vitæ quis timebit ſuæ, cuius oculus nullo necis inſtrumento perſtringitur? Non bacchatur per Vrbem ſicarius, qui inſtar immaniſſimæ belluæ nunc in latebris ad ciuium occultetur inſidias,nunc inopinus inuaſor erumpat ad diram innocentium cladem. Nullus hìc timet, ſolus quiſq; & inermis incedit, vt alterius iuuet confidentiam, vt oſtendat ſe nemine indigere, quo defendatur. Pax, Iuſtitia, Amor tutantur, non ferrum. Cur arma tractabis ſpecioſo tui tutelæ prætextu, ſi fulcitus es amore populi,ſi tutamento Senatus? Abite hìnc ergo in bonam rem (eccur autem nō in malam?) Sed omnino abite gladiatorum tumultus; faceſſite in cæde verſati ſatellites, Phalares quæritaturi, vel Catilinas: non litatur in Iuſtitię regno humana victimaTyrannorum iris. Illis dignū eſt veſtrū famulitiū,vt,qui timētur ab omnibus,ipſi vos timeant.Securitas enim præſentiæ veſtræ auget cuſtodito periculum; qui ſi hoſte carebit, vos habebit vt hoſtes : vos, in quorum millibus, mirum eſt, ſi vna ſit fides. Pauor non intrat Vrbem, à qua vos abeſtis, vos

au-

autem hinc eſtis extorres, quia pariter exulant inſidiæ, inuidiæ, iniuſtitiæ: ideo hæ omnes ablegantur, quoniam in Vrbe regnat Aſtræa, in vtràmque dormit aurem ſecuritas, omnia amoris cuſtodiuntur excubijs. Eſt, qui quærat fęlicitatis ſignum expreſſius? Ignorat, quid illa ſit, neſcit optare. Non ego producam vlteriùs de veſtra fęlicitate ſermonem, vt ne pluribus populis męrorem, ne multis alijs parem inuidiam. Si porrò in vno rerum quòq; ordine detur vna cæterarum menſura, cui applicata alterius rei perfectio dignoſcitur, ex his de tanta viuendi tranquillitate relatis, poſſet quiſq; deprehendere, quantùm diſtet à fęlici, ita vero vel męſtus, vel inuidus, vel vterque cumularet ſibi miſero mala. Redibo illùc vnde lubens diuerteram, ad Sapientem, inquam, Iuſtitiam veſtram: ſed ſuccurrite vos, quos intueor, Politicorum Tullij, Collegas loquor *Incognitos*. Vos blandiſſimi illius, quo ita ſuauiter delectatis aures aucupij, dictate pręcepta: Vos, obteſtor, multiugæ illius eruditionis, qua tàm diteſcitis, mutuate diuitias: aut ſi ego his etiã adminiculis dignitati materiæ ſum impar, ipſi vos patriæ ſemel laudandæ Iuſti-

tiæ

tiæ munus aſſumite. Decet interdum (quod vos docetis in Academia) de ſua virtute gloriari: & neceſſitas vrget, vt meis ſufficiatis defectibus. Laus propria, quæ fortè in alijs inanis ceu iactantia ſorderet, in vobis ſapientiſſimè moderatis, eſſet grauitatis virtus, & ſplendor. Et quando etiam vocaretis, haberetis auditores iuratos teſtes. Sed non indigetis fide credentium: quæ ſapientèr, & iuſtè facitis, ſciri poſſunt, manant in publico.

Quem lateat Iuſtitia Veneta, quæ, vt poſſit alijs prodeſſe profuſior obeſt ſibi libenter? Propriæ vtilitatis incurioſa, eſt de alterius bono ſollicita: commune procurabit auxilium, neglectura ſuum. Prorſus ſibi inutilis alieno dat operam lucro: officiet vel ſibi dummodo alij proficiat. Nulli nocebit iuuatura quoſcunque, ſuum extenuando dominium, amplificat opes aliorũ. Inæqualitatis exoſa, debitorum impatiens, creditori compenſat (in hoc ſolùm iniuſta) cum fænore. Officioſa virtutibus, damnoſa delictis, nocentium occurrens iniurijs, prompta ſuccurrit imbellibus; ſcelerum inexorabilis vindex nihil tolerat diù, pratèr æquum. Et ne meliora re-

ti-

ticeam, eſt ſeminarium Pacis, tutamen Patriæ, innocentium immunitas, magiſtra pietatis. Quid plura? Deum ne, an verò Iuſtitiam definiuimus? Vtrumque: nempè, non factis, ſolo verbo diſcordant. Propterea Aegyptiorum Magi Aſtrææ caput cęlo celarunt, vt imitata Deum commune bonum, & aliena prouideat. Hæc eſt virtus Veneta, quam dixiſſem proprietatem ingenitam, niſi laudabilior eſſet virtus, quę exercetur arbitrio, quàm quæ natiuitatis inſtinctu.

Id alterum, quod primum, imò ſolum ſuſpicit veſtra Iuris prudentia, eſt Deus, à quo ſicut ſapitis omnia vobis ab ipſo deriuare, ita quicquid habetis, quicquid eſtis, vni ipſi deberi fatemini. Quòcirca ſi liberum vobis fuiſſet, rerum veſtrarum transferre dominium, hucùſque Deo omnia veſtra repetita redditione tribuiſſetis. At hiſce iuſtitię muneribus Dei iuſtitiam coegiſtis, vt tantæ gratitudini bona copioſiùs elargiretur. Quoniam igitur non integrum vobis eſt ab hac cum Deo obligatione diſſolui reſtitutionis officio (non enim deſinunt eſſe ſub Dei dominio, quæ poſſidetis, ac proinde reſtitutionem impedit vnitas Iuris) alijs iuſtitiæ titulis, grati-

tudi-

tudine ſcilicet in Deum, compenſatione cum homine, æqua rerum diſtributione, vindicatione ſcelerum, pietate, ac Religione rependitis.

Perſoluto in primis debito Dei cultu, ad ſubditorum procuranda bona deſcenditis: Vbi priuatus Dei honor finem imponit, ibi incipitis conſultare de publicis. Quidni arrideant Superi inceptis à Cęlo? Bonorum maximum, & publicum cum ſit omnium ſenſu, & conſenſu libertas, hanc & ab exerorum inſultu, & à Tyrannide ciuium enixè defenditis. Libertatem vtcunq; vultis, ſed captiuam legibus, ſubditam honeſtati, moderationi ſubiectam. Liberrimam libertatem, quam honeſti catena diſtringit, quam intra rationis limites carcer includit, quæ iugo premitur æquitatis, quæ iuſtitiæ compedibus detinetur, ne licentioſa diſſolutione ſubiugetur! Hinc tribunal omne, omne forum, iudex omnis, omnia iura clamare, Cuique ſuum. Inde exhibetur ſuperiori reuerentia, habet; ſi indiget, æqualis auxilium, non negatur tutela minoribus, opes egeno, dantur imperitó conſilia: Cuiq; ſuum, Iniuria nulli. Et ne iſtius ſanctiſſimi Iuris violetur integritas, con-

 te-

temnentibus pœnas, excolentibus prçmia proponitis.

Ab hac lege paulisper ad Prætorium illud, vbi iura dicuntur, ad illud Auguſtale deſcendo, cuius ſi in amplitudine expatieris, Aream: ſi abſoluta vbiq; circunſpicias ornatum magnificentia, Templum: ſi picturæ diuitias aduertas, eſſe iurabis ærarium. Si exaratos in illo paſsim perſcruteris annales, quæ non diſces, quæ non dices, ſi eorum, quæ ſuggerentur copia, non tàm percepturo formidinem, quàm locuturo faciat inopiam? Videberis ipſe tibi Theatro intereſſe, vbi auditor leges, quàm bellè pro verſatili ſcena hæc rerum publicarum Regina, ad gliſcentes in orbe tumultus Protaſim egerit: quomodo, quando feruebant omnia, ſpeque æſtuabant, & metu, ab Epitaſi ſe duxerit fçlicis exitus in Cataſtrophe. Hinc dramatum fabulas, ſed veras, ſumatis licet Poetæ: Hinc laudationum argumenta Rhetores: Hinc faciendæ fidei monimenta mutuari poteſtis Hiſtorici. O reuiuiſceres Macedonum Hercules, nunquàm non Magne! Quam lacrymarum vim profunderes hic æmulatione virtutis? Achillis ſepulchri oblitus,

tus, & eius buccinatoris Homeri, totus facinorum huiuſcemodi contemplatione detinereris. Si indulgente ſemel naturà, inter homines iterum hoſpitareris, ò Romanorum Hector ſemper Auguſte, & ad iſthæc ſpectanda contenderes, rurſus erubeſceres, vti olim pro Gaditano Alcidis templo, quaſi tibi imputaretur ad ignauiam, quòd eiuſmodi glorioſum nihil vſpiam effeceris. Tu, ſi redires ad viuos generoſe Themiſtocles, quantùm ſupra conſuetum inſomnis vigilias produceres, quantùm te pœniteret vitę, ſi Milthiadis pręter trophæa, tot hìc Venetorum triumphos adſpiceres? Aduenite quicunque ad gloriam ſtimulis indigetis, & politicę, ac militaris virtutis documenta quæritatis: proponuntur hìc iſta, & ad imitationem poſteritati mandantur: ſtudete iſtis, dum ego properus orationem aliò conuerto. Latent illis in ædibus mirabiliora, quę videantur. Illa, loquor, Iudicum tribunalia, illa ſubſellia Magiſtratuum, illos nobilium conuentus. Vbinam viſa ſunt his conſimilia, aut ſapientiū numero tàm frequentia, vel Senatorum maieſtate tàm ſplendida? Intermiſit iamdiù efferre ſeipſam de ſuo Romà

 Pom-

Pompilio; nec ampliùs Sparta Lycurgum, nec iactant Athenæ Solonem. Illorum ſingulis, quot legiferos compararent Venetiæ doctiores, qui non tàm latis legibus auctoritate reuerentiam, quàm ipſi primi earundem obſeruatione conciliant?

Cognoſcimus ſexcentos viros multarum rerum prudentià peritos, grauiorum præſertìm literarum eruditione conſpicuos, omnium calculis, bonorum præcipuè, probatos aſſenſibus; in Reipublicæ tamen regimen nondum aſſumptos. Quare? Fama eſt, vt Magiſtratui non ſolùm virtutum ornamentum, ſed etiam dignitas ætatis accedat. Tantoperè Senatoriç maieſtati cauetis. Et quidem ſenilis ſpecies in Venetis digna eſt Imperio. Licèt nàmque in hac ciuitatum pulcherrima, decor, gratia, Venus regnet in vultibus, addita tamen virtute ſexus, forma triumphat in ſenibus. Proceritas iſta corporum ſupra communem ſtaturam auguſtior, inflexa ęui ponderibus, celſa ceruice, vegetiſque viribus, ſolùm prudentià ſeneſcit. Reuerenda cæſaries, oriſq; regius decor, non tàm canis, quàm moribus candida; ò quàm imperioſè intuentium

ani-

animos ſibi ſubmittit! Quàm grate delectat aſpectus! Illorum refragor opinioni, qui arbitrantur, vos ideo à regimento Iuuenes abdicare, quòd ſciatis illos ſat habere, vnde animum occupent, in moderandis feruentioris ſpiritus ardoribus. Errant etenim: Iuuenes nempè Veneti promptiſſimæ ætatis vigorem, ſeniorum maturitate contemperant, ita vt, ne Iuuentus quidem inepta ſit regno. Cum videas tantam morum facilitatem in ſenecta; moderatos concede (aut fallere) ineſſe adoleſcentibus ſenſus. Quid deſideratur in tenerioribus annis, quod ad rectè viuendum attineat, cuius fælices natales inſtructior ſequatur educatio, efficaciùſq; ad inſtruendum patrium erudit exemplum? Longè alia ipſe interpretatione coniecto, cur tàm ſerò ad Reipublicę gubernacula accedatis, cùm tàm diuturnè digni ſitis eſſe rectores. Differri ideo aſſumptionem ad Magiſtratum opinor, vt ne diutiùs regnante vno, impediantur mille digni, qui regnent, tardiùs licèt, ac breuiùs. Erit ergo fortaſsè conſilium, vt omnes, ſi fieri poſſit, ſemel dominentur. Niſi verò alijs de cauſis promotionem protrahatis ad ſenectam, vt in ſequen-

tis

tis vitæ decurſu, nihil electo ſuperſit diſciplinæ politicæ diſcendum illa ætate docendi. An vt multùm, diùque obedire viris aſſueti, breuiori, quod relinquitur, dominatus tempore, non dediſcatis legibus obtemperare? An vè, vt ante in ſubiectionis mora incalleatis, & productioris obedientiæ ſtudio vacantes, priùs diſcatis quàm imperare parere?

Et ſanè cum multæ his Athenis artium omnium, ſcientiarùmq; floreant Academiæ, habet omnes vna deſcriptos, in qua, & gubernandi documenta traduntur, & obediendi diſciplinæ ſtudetur. Quis tumultus fore præuideat, vel ſeditiones in Vrbe, in qua ciuium dominandi innatæ propenſioni, par obſequẽdi eſt acquiſita profeſſio? A qua omnis prorſus arcetur ambitio, & ſolùm prælationis meritum affectatur, non poſſeſſus? Vbi ſubditi ſuperiorũ fælicitati, quòd præſint, ſuæ gratulantur fortunæ, quòd ſubſint? Proferantur illa ſummæ moderationis indicia: in dignitatum, officiorumq; vacationibus frigidè titillat animos ſuccedendi cupido, ardentiuſque frænat ſua quèmq; modeſtia. Non aduolat certatim ad curiam æmulorum examen,

neq;

neq;contentioſa irrumpit ambientium extorſura prenſatio. Vnum eſt vt plurimùm, iuſtitiæ cum humilitate certamen, illa prompta diſtribuit, iſta deſtinatos honores acceptat inuita, repudiaret etiam collatos, niſi tenere cogeretur. Solent alibì coemi, præripi, præflorari, in hoc iuſtorum emporio, vel non petuntur officia, vel Iudex petentium non moleſtatur inſtantià. Recenſete vos, Patres Conſcripti, quot conferendę dignitatis prouidè penſantes munia, vel magni ſuum æſtimantes anteceſſorem, ſuam cauſati ſunt ſucceſſionem. O hominum moderationem perquàm raram, quæ iudicat ſeipsà maius publicum onus! O verecundam conſcientiam, quinimò ſummam ſapientiam, habere pro certo periculoſum eſſe, & magnis viris comparari, & ſuccedere bono regimini! Nulla promouendo obeſt corriualium liuore plena ſimultas, nec eidem vllus fauet affectus: non enim ſtimulant paſſionum aculei, nèque efflagitatum obtinent auri muta ſuffragia: cõmendationis autem fideiuſſio nocet potiùs, quàm eligendo poſſit opitulari. Deſperet verò de ſua electione melior peſſimo, vbi ſolùm optimi deliguntur: nec indi-

indignus expoſtulet, vbi impetrat vnica virtus; & meritum citrà ſupplicationis erubeſcentiam exauditur. Quantùm abeſt, vt ſors quemquam prætextà dignetur, vbi nihil temerè fieri prouidentia permittit? Vbi iuſtitia ius conferendi ſuum non ſinit vſurpare fortunam? Huic Prouinciarum cuſtodia, illi prætura Ciuitatum, alij militaris rei ſumma demandatur, ſi id decernat maturior ratio conſiliorum. Vtinam, ò videres quando vacuis vnius precibus, alterius adimpletur intentio! Mirareris; adeò, qui petijt (ſed rarò quis petit) æquo animo deliberationi diſtributoris acquieſcit. Vel ceſſerit concurrendo, ſe viciſſe arbitratur, modò aliqua meritorũ ſpecie certarit, præualuerit licèt cum riualis excellentià arbitrium Senatus Conſulti. Mirareris omninò, cum videres gratias agentem, qui nullà eſt gratià potitus. Quùm etiam, qui antèa egregiè perfuncti ſunt vacant adminiſtrationis exercitio, perquàm tranquillè ſe componũt in priuatorum officijs, nec erubeſcunt ſe imi ſubſellij agere ſpectatores iudiciorum: rentur, ſibi pariter eſſe vtile ſubdi regimini, ac regere. Videmus in hac Patria fœlicium, & clarè vide-

mus,

mus; Cęlitum adumbratam beatitatem. Tantùm inter illos infimus gaudet de ſua exilitate, quantùm de ſua eminentia ſupremus. Iſtum, quòd excellat, nulla inflat arrogantia: illum nec habendi, quo caret, turbat anxietas: præſtantioriſque collegæ ſublimitatem, gratulatione dignam ducit, non inuidia: vtriuſque compar eſt gaudium, & iucunda ſatietas. Ita Veneti paritèr participatam habent ciuilem fœlicitatem: fruitur Magiſtratus, quia laudabiliter præſit; lætatur ſubditus, quia vtiliter ſubſit: vtrobìque plena iucunditas, vterque in ſua ſorte conquieſcit.

Miſto omnium ſolamine cuncta hilareſcunt, dùm quis ad gradum aſſurgit, perindè ac ſit ſingulorum ſaluti conſultum; nemo alterius lætitia triſtatur, nulli eſt occaſio dolendi, omnibus autẽ gratulandum, quoniã communiter placet, quod ſperatur omnibus profuturum. Et hèrclè, ſi imperantium grauitati ſubiacere reputetur vt onus, nullus Venetus exiſtimat ſe eſſe ſubiectum, cùm aduertat ſe ſoli ſubeſſe Iuſtitiæ. Lamententur illi ſuam ſubiectionem, qui præſidentium auctoritatem non ſentiunt, niſi dùm

 op-

opprimuntur: vel qui ſuperiorem non agnoſcunt, niſi ob dignitatem. Ecquis ex ſubditis veſtris, iuſtiſſimi Iudices, conqueritur, quòd iuſſis grauetur indebitis, etiamſi, quàm alibi, Venetijs ſit queri liberiùs? Nimirùm obedientes non vexat inhumana ſeueritas. Et vos, quando indoletis vnquàm, quia vobis non obediatur, tametſi à ſuperiore delicatiùs iſta toleretur offenſa? Videlicet, nec contumacia auctoritati luctatur. Tantæ iubendi lenitati, æqualis reſpondet obſequendi facilitas. Quàm auguſtum eſt liberis dominari, qui faciunt idem ſpontè, quod iuſſi! Ab his magis impetratur, quo imperatur minùs. Quid eſt opus Imperio (coactionem non dixi) quando vltroneus reddit ad titulum debiti, quicquid reddentis poſſet iudicari pro gratia? Ità ad nutus veſtros ſe totos ciues accommodant, quia vos legibus obeditis, & Deo.

Hac ad rationis normam moratà benè politicà prouidetur, vt à bonis in meliores, à melioribus in optimos Reipublicæ cura deriuet. Verùm enim verò, vbi ad ſupernos honores quis veſtrum euehitur, quantà continuò patriæ rei augendę cupidine incenditur? Imò enim, quan-

to tùm primùm communitatis adauctæ profectu? Subitò ſupra conſuetum ſublimitatis faſtigium, ſe latas inueniunt ſummæ dignitates, cùm veſtrùm aliquem ipſę ſubliment. Solent fieri, & dici patriæ Patres, cùm excelſæ adminiſtrationi ſufficiuntur; vos dignitate mutati, patris non mutamini nomine; eratis antequàm fieretis. Vultis etiam ijdem eſſe, qui anteà, &, ſi quo modo diuerſi, non aduentitià faſtus acceſſione, ſed vti poteſtate, ita deſiderio iuuandi. Quis non vellet inferior eſſe, dùm à ſuperiore propria non minuatur, amplietur etiam conditio? Quis ſibi non imprecaretur vt dominum, cuius benignitas vtatur dominio pro fructu ſubditorum? Ecquis demùm non concupiſcat ſuo Principi omnia licere, qui vult ſibi illud licere duntaxat, quod ſubdito?

Haudquaquàm ſum neſciùs, aliquot olim pridèm ex Locrenſibus inſigniter celebratos, qui ſe ipſos vti partem Reipublicæ reputantes, ſuo toti ſeruire, opus, & fas eſſe prædicabant. Sed quot huius ingenij? Admodum pauci in hanc conceſſere ſententiam: plurimiſque ſingularitati ſtudentibus, Anarchię tumultibus frequen-

 ter

ter vrbis fluctuabat imperium. Docebatur Athenis abhorreri veluti monſtruoſum, atquè reſecandum membrum, quod totius corporis non coadiuuaret officium, quòdque, vel ſuis ipſis damnis caput ſuum non conſeruaret indemne: at hæc facundiùs theorico ſpeculatu ſuadebantur, quàm reuocarentur in praxim. Compertum etiam habemus Romanorum quoſdam religioſiùs publici boni fuiſſe ſtudioſos: pleroſque domeſtici ærarij paupertate, communem ditaſſe theſaurum: permultos alienum bonum ſolertes procuraſse, & amaſse veluti ſuum, non affectu poſſeſſus, deſiderio cuſtodiæ. Sed, ò Romæ duraſſet diutiùs hoc votum! Potentiſſima omnium Ariſtocratia, quæ tot Monarchas habuit prouolutos ad pedem, ambitione paucorum, non tam citò in Oligarchiam miſerè ruiſſet, exindeque grauiori lapſu in Tyrannidem vnius Cæſaris. Vni, ſoli, ac ſemper Veneto Senatori, vocabulum, & res communitatis ſanctiùs ſunt curæ, proprietatis nomine abolito. Nullus veſtrum quicquam poſſidet vti peculiare, ſed titulo pignoris Reipublicæ integrum abſque contentione reddendum. Habet inuiſam

quiſ-

quiſque ſui ſalutem procul ab aliorum ſoſpitate; & ſe deperditum lugeret, ſi perempto publico, ipſe conſeruaretur incolumis. Omnium Magiſtratuum in vnius patriæ, atque conciuium obtinendam, tutandamque indemnitatem vota conſpirant. Illud accuratè cuiuſque ſapientia ſpeculatur, vt ſingularium prouideatur proprietati; ne vnius ciuis detrimentum; totius regni cedat in damnum.

Vſquè adeò in confeſſo eſt Veneto, patrię tribuere eſſe longè beatiùs, quàm recipere; id quod multorum comprobauit exemplum, quorum ære obſtricta multùm Republica, ipſi debitorum deleuère chirographum, profitentes, patriam ſuo ciui non poſſe debere. Omninò naturæ, gentiùmque iura confunditis, vbi de publico res agitur: vultis communia omnibus omnia; propria cuique aliena. Quàm rectè dicebam ſuprà, vos Diuinę gubernationis ſpecimen dare? Et quomodo poterit illa non eſſe diuini imago regiminis, quæ repręſentat nobis Principes, qui non tantùm legibus, verùm etiam moribus ſuum volunt populum erudire? Illud certè proferam certiùs, ſi in hac Venetiarum Themide nul-

la euulgaretur Lex, adeò, vt Veneti viuerent exleges, exemplarem vitæ veſtræ inſtitutionem, legum poſſe facundiùs vices implere. Quod in alijs vis; quod legale crederetur imperium, mores in vobis ſunt; & mores apparent. Circunferuntur alibi legum immenſa volumina, quæ, quàm condiſcantur, teruntur citiùs, quęque, quàm iura declarent, obtenebrant verborum ambagibus. Paucæ (quòd me recordor delibaſſe ſuperiùs) leges apud vos exarantur in codice, innumerę ſanciuntur in opere. Vix proptereà opus eſt illarum interprete, cum ipſi vos dubia moribus luculentiùs explanetis. Eſtis earundem in obſeruatione magiſtri priùs, quàm in promulgatione latores; eadèmque formà ſeruitis æquitati, qua conſulitis alijs, vt publicæ deſeruiant vtilitati. Itaque proindè ac Senatores, & priuati imperium obedientià miſcetis: ſtudiùmque obſeruantiæ non exigitis, niſi exhibeatis. Rectè, optimi Patres, quia, dùm operamini, & iam latas implere, & nouas leges ferre videmini. Nobiliùs planè cenſetis Principem eſſe ſimul, & ciuem, quàm ſeorſim alterutrum, & ideò quantumùis ſitis, non videmus vos ſolu-

lutos à iuribus, quibus alios adſtringitis. Quid, quod ſemel imperaſtis vnquàm, quod factis non probaueritis, vt æquum? Et quid vetuiſtis, quod fugà veſtra, veluti deteſtabile non reprobaueritis? O efficaciſſimā in Deliberatione Rhetoricā! Ecquid ad perſuadēdū validius, ſi facturū moueat hortātis exemplum? Quid eruditius, ſi experientia iā facti doceat negligētis ignauiā? Quid iucundius, ſi renuentē delectet pręmiſſum operis exercitiū, promiſſùmq; operātibus honorariū? Aduertitis, vt quàm facilè labatur lingua in Bonitatis veſtræ proludium? Nemo quiſquàm, ſi vera loqui velit de Sapientia veſtra, iuſtam illam non dicet. Cùm appellarit iuſtam, ſe lapſum ſentiet in affinis Bonitatis eloquium. Præterquàm quòd, triplex hæc virtus veſtra (Theologorum verbis vtar) Trinum illud Dei attributum, quoad fieri poteſt, imitatur in vnitate. Potentia, Sapientia, Bonitas in Deo, tria vocabula, ſunt vnica res, in vobis tres quidem virtutes; omnium tamen maxima Bonitas, veluti ſubſtantia cæterarum, illas ſibi adiacentes indiſcreta aſſumit in ſocias: id eſt, totum id quod poteſtis, illud maius quod ſapitis, Deo dé-

 uo-

mouetur vt hoſtia, homini deſtinatur ad auxilium. Hinc illa priuatorum eruditio, qua norunt, quantum ſibi liceat, docentibus operæ, quid ſibi deceat, Senatoribus. Exaudita in iſtis doctrina, qua imperent, expedita in illis diſciplina, qua pareant. Quidni puderet ſubditos, Principum irritare decreta, qui non præcipiunt in ſui oſtentationem, vt Domini videantur, ſed quatenùs Domini, exequentes iuſta præcipiunt? Infinitas, eaſdèmque facundas habere ſolet linguas Superiorum exemplum, quo honeſto virtutes, inhoneſto vitia proficiunt. Prima huius regiminis ſphæra indefeſſo vibrata diſcurſu rapit ad ſui imitationem adminiſtros orbes, qui intermiſtis inceſſibus inuicem implicati, nullò alterius impedimento, in Reipublicæ conſeruationem, ſuum quiſque ſimul præſtant influxum. Pars inferior hominum ad menſuram congruentiæ, ad temperantiæ concentum componitur ab Senatus non errante Intelligentià. Vultis videre (quòd vix alibi dictum auditur) quàm concinnè Venetijs cuncta concordent, ciuilem, inquàm, harmoniam? Grauitati Senatorum, ciuium conſonat mediocritas, vtrique ſuo modu-

lo attemperat tenue plebis obſequium. In foro, in curia, vbique conciliorum, Politicæ eruditionis flexanima modulatio in auditorum inſonat oblectamentum. Procul omnis inuidentiæ diſſonum murmur, procul longiùs diſcordia ſimultatis, quæ ſi à familiaritate naſci conſueuit, & æqualitate nutriri, inter vos locum ceſſit conſonantiæ charitatis. Intrà domeſticos choros ſuam edit ſymphoniam Oeconomia: amatori viro vxoris concors affectus, amori parentum reſpondet reuerentia liberorum; dominorum beneuolentiam ſeruorum fides exęquat. Nullus domi ſtrepitus contentionis, nulla diſsenſio; domeſticis idem propoſitum, tenor vitæ omnibus idem. Inuicem adeò ſibi concedunt, vt plures eſſe non videantur, vnius imitati mores, & regulam. Si verò aliquo, ex nobilibus præſertìm familiariter vti contingat, quàm gratam pangit Ethica melodiam! Omnium virtutum temperata permiſtio ad ſocietatis beatitatem emodulatur. Degeneraret in Tigridem ſonoris numeris ſuetam ferocire crudeliùs; qui morum veſtrorum obſeruator attentus, nouà quaſi ſibi vità profuſa non frueretur. Vulgus aliquando

accenſa ſeditione rueret in tumultum, ſed prę-ſtò ſunt Aſclepiades, qui inconditæ phræneſi, auctoritatis, & perſuaſionis concentu medentur. Plebs à recto frequentèr obliquaret ad nefas, ſed citi ſuis allicijs occurrunt Orphei monitorum ſuauitate concinentes, qui furioſę improbitatis emulſam inſaniam trahunt, at lubentem ad iuſtum. A communi demùm concordię modulatione diſſonantes, non confeſtìm vti diſcordantes chordas inciditis, ſed peritioris inſtar citharædi, fræno laxiores intenditis, tenſos nimis, leni indulgentià remittitis. Tanti profectò eſſe debent, qui tantæ Reipublicæ deliguntur ad curam.

Intereà tamen dùm pro tribunali ſedetis, mirum, qualem rebus omnibus numerum, menſuram, æquabilitatem concilietis! Non æquiorem diceretis ſententiam, ſi Deũ videretis iudicem aſſiſtentem: nèque verò, ſi vos alterius appellaretis iuſtitiam, precaremini tantam, quantam præſtatis alijs non exorati. Si vobis adſtaret adiudicantibus Stoicus, ſua illi de Apathia magis arrideret opinio: fidentiùs negaret Heroibus affectus irrepere, qui agnoſceret Apathes iudi-

ces,

ces, quos ſolet tumultuaria paſſionum turbā confundere. Non iudicatis vos, vt fiat affectioni ſatis, vnum hoc de iudicio lucrum optatis, vt diſcant iudices rectè deliberare, inſontes fidere, deſperare nocentes, moroſìque debitores æris alieni parare ſolutionem. Quid hac Sapientià iuſtius? Aut quid tali Iuſtitià ſapientius? Ego ſanè cùm in amplo prætorio erectis vndìque tribunalibus intereſſem (ſæpiſſimè autem interfui) reminiſcebar, quod de iudicijs legeram Aegyptiorum. Non videbam quidem iudicum ad pectus veritatis pendulum ſignum; at audiebam poſt accuſantium, excuſantiùmque altercationes, ab obſcuritatum latebris erutam veritatem, pro æquiori parte ferre ſententiam. Poſſunt declamatores pro ſuis cauſis condenſare rationes, & affectibus ſagacitate mutatis facti probabilitatem aperire; è ſugeſto licèt ſuadam diſſeminarent in aures, & verborum, ſententiarùmque lepore duratos quoſuis valerent animos emollire: tametſi concionis impetu, atque eloquentiæ conatibus poſſent iudicis extorquere conſenſum, actum agent, niſi ius ſecum patrocinetur. Rursùs erudiat quantumuis timor

mortis ſontes in fraudibus: ſuperſit miſeris cogitatio euadendi vitæ diſcriminis; exundent ſimulatæ lachrymæ, in quibus miſeratione colliſum poſſet naufragare iudicium; legentur, vt oratores pro venia, vota, preces, planctus; iſthæc, & conſimilia omnia canentur ſurdis. Hominem auerſamini vultu, cùm Deum, & iura intueri ſit fas. Quò ratio diuinitùs afflata perducit, eò iudicando ſpectatis, vt à iudicio ſit procul omne prophanum. Ipſe Reus in Heraiſcum euadit, Aegyptiorum, inquàm, interpretem: tùm intelligit cur illi Aſtræam fecerint acephalam, cùm Iuſtitiam veſtram experitur ſinè capite, ſinè ſenſibus, videntem nihil, ſurdàmque ad precem, & precium.

Reformidet igitur ſibi (niſi me omnia fallunt) potentium audacia, quia nemo hominum peccat impunè. Impotens eſt ad ſe tuendum nocentis potentia, quilibet valor inualidus, clauditur ſceleri locus aufugij, obeſt ſuffragium quoduis, ſi violata lex refragetur. Aborti ſunt aliquando hìc renouatæ Romæ ex tanta liberorum fæcunditate Cęſares, qui maternæ virginitatis lenones, audebant, vel exterorum impuri-

tati

tati eam tradere deflorandam, vel ſibi inceſtuo-ſa ſeruitute proſtituere. At iniquiſſimis auſis ſeſe opponentes Catones Vticenſe fortiores, parentis integritatem, patriam libertatem, Cæſarum exterminijs ſeruauerunt intemeratam. Diſſidentibus Pompeio, & Cæſare, ſciebat Cicero, quem poſſet illorum fugere, quem ſequi, neſciebat, vterque enim pro principatu, neuter pro libertate certabat. Omnis Senator Venetus nouit, quem ſequi, nullum quem debeat euitare: ſcilicet nullus veſtrum in regis ambitionem allicitur: ſat ſibi ipſi videtur habere, ſi homo Venetus ſit, ſi liber, & impoſſibile eſſe, vel cogitari de lædenda libertate ſine ſupplicio. Non mitiùs equidem parceretis proprio, quàm alieno ſanguini, nec leniores cum filijs, quàm cum hoſtibus, ſi libertatis molirentur iniuriam. Eruantur ab Annalium ſcrinijs veterum monimenta iuſtitiæ; iactet ſe ſe ſuis inflata factis veri amplificatrix antiquitas; inducat quoſcùnque habuit viros æquitatis famà conſpicuos: Vos omne ſuperatis exemplum. Potuit Locrenſis populi fauor celebratam Seleuci cohibere iuſtitiam, ne filium exocularet, quem ad cæcitatem lex lata pelle-

pellebat. Alios iudices, quos prædicauit iuſtos ſuperior ætas, ſeduxit amor genitorum, & ad condonationem, iuſtitiæ defectum, pellexit teneros nimis. Nec populi, nec ſanguinis vrgentior oratio perſuaſit Venetis Caſſijs, Torquatis, Fuluijs, ne vnicos natos damnarent ad mortem, ſe verò ad totius orbę vitæ mærorem. Omne publicum damnum intolerabilius ſentitis quocùnque priuato, ipſa vel orbitate, qua ęgrius perfertur nihil. Quid dixerim orbitatem? Subditos habetis loco liberorum, quibus ſoſpitibus, orbi eſſe non poteſtis. Vtcùnque tamen, definitis eſſe parentes, dùm Decemuiratus incipitis eſſe perſonę. Dediſcitis tùm maximè ergà ſanguinem documenta naturæ, iam publicæ ſeruandæ rei commiſſi tyrocinio. Patris tantùm nomenclaturam familiarem intra lares non abnuitis, ad ſolatium teneritatis vxoriæ; extrà domum ſuccenſetis paternitatis appellationi, ni referatur ad patriam.

Si tardè interdũ veniatur ad pęnas, pęnas certè non diſſimulatis; differtis autẽ, vt vel culpas maturiori trutina ponderetis, vel peccantes ſpontaneæ pænitudinis meritum habeant, ſi velint.

Ple-

Plectitis aliquando celeriùs, quùm impunitatis non poteſt ſpatium admitti: ſæpiùs tamen, vt grauiori noxæ properata mulcta præcaueat. Vindictam vnica perſuadit publicæ defenſionis intentio, nulla præcipitat odij ſuggeſtio. Trahimini ſemper ad puniendum maleficij violentià, in quod animaduertitis nullo furore ſolliciti, ne quicquid iuſtitia, vt æquum exequitur, iracundia reddat iniquum.

Vos hactènus inexorabiles vocitabam, atque implacabiles delictis; at eo ſenſu, & id temporis tales, cùm condonare inclementius ſit condemnare. Cæteroquì non eritis Clementes, qui ſapientes? Si ſapientia poſſet habere magiſtram, ea eſſet Clementia. An vos homines, & humani, humanæ autem fragilitatis obliti? Iuſtitiæ rigorem ſemper lenitate conditis, vt vel virtutes accumuletis, vel ne iſtarum altera ſinè alterius conſortio vergat ad vitium. Non eſt virtutis opus, plùs nimio iuſtitiam intendere, ſicut nèque laudabile, clementiam plùs iuſto remittere: illa ſumma eſt acerbitas, iſta leuitas ſumma: prior accedit ad Tyrannidem (ſi in Tyranno poteſt eſſe iuſtitia) in ſuos, in patriam,

in omnes, nullo conſilio ferocientem; poſterior inclinat ad fœminam, quæ ſola recordatione pœnarum, præcipuè mortis, in deliquium ſenſus effuſa langueſcit; quæ nec ſe, nec ciues, nec alios tutari poteſt ab hoſtibus. Heroicum illud præ alijs admiramur, vt innocentiam religioſiùs excolatis in vobis, & innocuas manus porrigatis errantibus. Qui dico porrigatis, ſignifico, vt erigatis, & corrigatis. Obnoxia lapſibus, ſi in crimen cadat humanitas, niſi periculum ſit, vt in præteriti exemplum, futurum ſcelus eueniat, nullam de peracto pœnam exigitis, qui non punitis, quòd delictum ſit, ſed ne impunitate, delinquendi præbeatur illecebra. Delata crimina quàm moderatè ſuſtinetis! Quàm leniter cohibetis animum irritatum erroribus! Facti reus iuſtitiæ in ſe ſæuientis non ſentiet aſperitatem, dummodò præuideatur ad audendum facinus non concitandus futuræ ſpe veniæ. Sperent à vobis culpæ remiſſionem, quorum vos non deſperetis emendationem. Oſtentare faſces, ſed colligatos, cunctantèr ad vltionem explicare ſecurim, feſtinantèr opem ferre ſupplicibus, excitare iacentes, iam perditos moratæ vitæ re-

ſti-

ſtituere, ab hominum capitibus remouere pericula, omnium (ſi fieri poteſt) ſaluti conſulere Venetorum Iudicum nouimus proprietates. Solemniùs vobis, quàm ſeueritate pauci perdantur, plures conſeruare clementiâ. Studium veſtrum, gloria veſtra, veſtræ delicię ſunt ſeruati ciues. Ferrum, tormenta, necem, ducitis inconſultæ diritatis innopportuna remedia, ſi verborum torſio poſſit errata vindicare. Plerìque enim exolutis iam pœnis incorrecti, ſolent emendari minis, monitis, blanditijs. Quamobrem habetis pro culeo politico, pro plaga ciuili, pro legali ſupplicio, de crimine commonere maleficum. Incipit quippè torqueri, qui audit ſibi exprobrari facinora. Sæuior eſt morte pænalitas, dignum ſe morte conſcire; ſed laniena crudelior, à iudice pro reo mortis haberi. Triſtamur interdum acerbiùs, quòd turpiter fecimus, quā quia ſimus cruciamenta paſſuri: fortaſſis eò, quòd in futuri doloris tolerantiam valeamus, neque verò in præteritum ſcelus. O mæror culpæ, ò pudor noxæ, ò dolor ſceleris, ò mortes, quàm eſtis atroces! Quicùnque mortalia non ſentit vos vulnera, demortuus eſt, iamque

cadaueri iuſta funeris præparari abs re non fuerit. Diſtringat in talem ferrum iuſtitia, nec enim feriet ſinè medela, veriùs quàm haſta Peliæ, nam tortus plus ſalutis accipiet minus doloris. Sic ſitis: morte curatis quos deprehenditis incurabiles, vt animum ſaniori vitæ reddatis. Inſignis eſt, & in æuum omne celebranda clementia, neminem ſine ſalute punire, ac corporalis mortis antidoto immedicabilem animi peſtem præpedire.

Quotiès viſi eſtis ob publicæ maieſtatis vindictam, effuſo ſanguini profuſiùs lachrymas commiſcuiſſe? Et id horæ præſertìm, cùm non potuiſtis commiſerari delictū, vel potiori beneficio adæquare ſupplicium? Arguat, qui poteſt, aliquem veſtrum feritatis immodicæ, cui optatius eſt parcere morituro, ne ipſe complorando immitiùs torqueatur in animo. Quid, criminosè, conqueris, quòd Venetiarum Aſtrea à ſuo Cælo vltionis fulmina iaculetur? Non iacitur fulmen ab æthere, niſi vapores ex terræ gremio, quaſi parentis indignati viſceribus, erumpant, & ſuum ſupra ſtatum audacter elati, in nube fiant ære duriores. Non habet fulmen hæc Virgo, ſi ſu-

ſuperbi ſpiritus conditionis ſuæ ſphęram ſupergreſſi ad ſummum vſque temeritatis, non conflent in eius manibus ſpicula,quæ vibret. Sed dimiſſi etiam fulminis innocentiã mirere, qui laudare non velis: repertos lenes allambit, non ſæuit in debiles, quodcùnque molle viuit indemne: ſolos reſiſtentes ſternit, induratos euincit, proterit contumaces. Non ſecùs,quàm conſors Leo, qui nunquàm proſtratis iraſcitur, ſe viciſſe ratus, ſi humilis iaceat hoſtis; ibìque ſolùm ferox,vbi de arrogantia ſit triumphandum. Nullo expreſſiùs ſymbolo pręfiguratur veſtra cum rigore clementia, quàm Leone. Siuè ille vos imitetur ipſos, ſiuè vos illum, nullum clementis Iuſtitię concinnius emblema. Hem! Cur vox pręiuit affirmans, vos imitari Leonem? Lingua mentem anteuertit:agnoſco ego erratum,ignoſcite vos lapſum: Fuiſſet mihi, vt veriùs,ita præmiſiſſe commodiùs, vos clementiſſimi Dei adumbrare figuram. Iuſtitia videlicet videtur vobis ſinè facilitate ſeueritas, æquitas ſinè miſeratione crudelitas; vultis illud cum Deo habere commune, vt rogati, atque adeo ne rogati quidem, condonetis errores. Parcè poteſtatem,

vt Deus, in infligendis plagis exercetis, minùs ſemper nocetis, quàm poſſitis. Velletis denìque in reos ſolo animaduertere terrore, quemadmodum Deus, qui horriſono tonitru hominum perſtringit aures, at fulmen impingit in ſcopulos. Illùc aſcendit Sapientia veſtra iuſta, & clemens, potentiam veſtram longe prætergreſſa, quæ à terris ad vſque Deum lineam protraxit longiorem.

Demùm expromatur palàm, quæ hactenùs quaſi ex inſidijs orationi frequenter irrepſit, latibuli nimirùm impatiens Bonitas, dum eſt accurrendum amatis; iàmque delineatum concludat tertia Triangulum. Nec indignentur mihi cæteræ virtutes veſtræ (Viri omni virtute clariſſimi) ſi non laudatæ præteribunt. Virtutem, quæ in communem non laborat vtilitatem, neſcio laudare. Quid enim gloriæ reperiam in virtute, cuius ſummus conatus eſt, ſi faciat habentem bonum? Quæ tota occupatur in vnius perfectione, nec poteſt illum ſola perficere? Quis aſſerat aliquid virilitatis ineſſe virtuti, quæ non eſt pro viris? Vti fœminam noſcamus (rectiùs dixiſſem, ne noſcamus) virtutem, quæ vni ho-

mi-

mini ſe ſociat, alijs incommunicabilis. Quam non cernimus publico vacare bono, fateamur ſingularem, incognitam, ineptam ſocietati, ne alij appellent auaram, inuidam, otioſam. Adiuuet igitur hominem virtus, ſi aucupetur laudem ab homine, hęc enim diſpenſatur ſolo pretio beneficiorum. Sola virtus, quam nuncupant ad alterum, Iuſtitia, & Bonitas, ſeu (ſi mauis) Amor promerentur encomia. Quæcùnque autem priuatam reſpiciunt perſonam, non publicam rem, maneant ſub ſecreto; & in latebris Ethicæ intrudantur, quæ in aperto amplòque Politicæ campo benefacturæ non exeunt. Abeant, inquàm, immemoratæ virtutes, quæ ſunt aliorum immemores: nihìlque ſit illis laudis, quæ nihil boni habent, quod referant, vel laudatoribus ſuis. Tota ſit laus illius, quæ tota eſt alterius, illùcque omnium ſpectent panegyrici, vbi occurrit virtus omnibus profutura.

Quantùm licere poteſt viris, imitamini Deum (repetam id ſæpiùs) ſed præ vt fuiſtis in alijs, eſtis illi in Bonitate ſimiliores. Deus amando procreauit vniuerſa, dixiſſet ille, transformatus in Amorem: vos item quicquid pro publica re fa-

facitis, perficit Bonitas, an Amor genitor Bonitatis? Vt vultis: ſed Amor hominis, patriæ, Dei. Nouimus omnes ex illis, quæ moralem cadunt ſub aſpectum, quanta ſit illa in Deum, in veſtros, in omnes Bonitatis effuſio. Dixit id nobis, & luculentèr demonſtrauit probata nuper, & ab omnibus approbanda Iuſtitia. Enimuerò, amore non feruebit, qui iam per omnes iuſtitiæ gradus aſcendit ad Deum? Frigebit igitur propinquus igni, & Diuino quidem igni? Illi igni, qui iamdudùm è Cælo more pluuiæ delapſus multiplicabatur in linguas, vt facundiùs doceret mortales amoris incendia.

Neges mihi ſemel, inuidia, Venetos eſſe bonos, & optimos: tu ſcilicet ſola id vales audere: iaculare liuoris morſus, & oblatera ſemel, Venetos eſſe malos. Malos eſſe adſtipulabor & ego, ſed malos tibi, quæ tuum deploras vt malum, quod vides alij bonum erogari. Auffertur nempè tibi ſolatium ſolatis alijs; triſtariſque teipsà tum mæſtior, alijs collætantibus. Meliores eſſent tibi Veneti, ſi eſſent bonis nocumento, quippèquæ aſſoles exultare maligniùs ad maleficij conſpectum. Quoniam ergo in hac pa-

tria,

tria,cæleſtis æmulà,cernis bonum largiter communicari, conquereris; tùque peſſima iniquè criminaris de ſua beneuolentia tui peroſos. At quomodo mali, inter quos tandiù res communis? Deſſueuit ergo tandem ſuperbia, inuidia, & ſi quod eſt vitium aliud bonitati contrarium, ſuæ ſingularitati ſtudere? Et tàm diuturno ſui ſupplicio tot tolerauit æquales? Et dedidicit communionem odiſſe? Et abhorrere conſortium? Et didicit iniquitas eſſe ſocietatis altricem, quæ conſueuit ſocios, ciues, cognatos, omnes ſinè delectu diſſociare? Apage, inuidia, vel tace; nihil eſt ampliùs loci maledicto, iam inſignis huiuſce Bonitatis laus locum omnem occupauit.

Ingruat quicùnque laudis alienę obtrectator, & quiuis non poſſit temperare conuitijs accuſet illos, quorum Bonitati patrocinor; citètque ad veritatis tribunal, & habeat præconem orbem: deferat deinde malum, quod alijs vnquàm intulerint. Producat teſtes, ne illis quidem exceptis, quos Veneti nominis pluriès infenſos totius ferè orbis conſenſus conclamat. Eiuſmodi fuit Creta, talis Iadera fuit, fuerunt plures, quas onero-

roſum foret,ne inane dicam,recenſere, prouinciæ. Illæ ipſæ ab hoc vel deſciſcentes imperio, vel eidem machinatæ perniciem, ſubactæ tandem, nullas dedere pœnas infidelitatis, nullas iniuriæ. Quin potiùs honeſtatæ fauoribus, ſummam Venetorum clementiam, beneficentiam eximiam nulla obliteranda vnquàm acceptilatione teſtantur æternitati. Inducatur & illa Liguſtici maris regina, illa Adriaticæ gloriæ ęmulatione clariſſima, cuius pridem ferebat animus Mediterraneum huic littori ditione commiſcere, iàmque Genuam propemodùm ad Foſſam Clodiam tranſtulerat. Illa iuxtà mecum celebratæ Venetorum Bonitati ſubſcribet; cuius claſſis Imperatores cum tenerentur captiui Venetijs experti ſunt, ſe à Venetis non tàm armis vinci potuiſſe, quàm fortiùs humanitatis officijs; obſtrictiores ſe fatebantur vinculo beneficiorum, quàm violentiæ compedibus: videlicèt Genuenſem virtutem, vel infenſiſſimam, etiam tùm deuictam, quibuſuìs beneficentiæ dignabantur obſequijs. Tantà ſunt in hoſtes quòque beneuolentià Veneti. Iniuriæ memoria, quæ tantum habet vitium in læſis, nihil poteſt in Venetis,

netis, nec munera quidem manibus excutere. Interpretantur ſatis ſibi eſſe vlciſci poſſe, glorioſiùs verò in ſumma poteſtate impotentium inſultus diſſimulare, interdum compenſare (an vindicare?) muneribus. Infiniti ferè miſeri fuiſſent, niſi hoſtes veſtri, & victi: de his enim nullum erexiſtis trophæum inſignius vſu Bonitatis, & fructu. Iſthæc nullum diffitetur Europæ dominium, niſi ſe iſtis debere pudeat, & pigeat gratias agere.

Quænam autem auxilia à vobis ſperare non poſsũt, beneficentiſſimi Patres, vel quas ſibi non polliceri ſuppetias amici veſtri, ſi ij eſtis, quibus præſtat eſſe inimicum? Ea profectò animi inclinatione propendetis in illos, in quibus aliqualis erga vos elucet amoris ardor, vt videamini (quod commentus eſt Ariſtophanes) perindè auulſi de homine ad homines velle redire, denuò cum ipſo in integrum reſtituendi. A vobis audiri ſolitum eſt, vix hominem eſſe, qui cum homine amoris vnitate non perficitur, ſed dimidium hominis, rem mutilam, monſtruóſam, verbo vno, Sirenem inhumanam; quæ ſecum continentes humanitatis ludit imagine, vt ita

 men-

mentita mores faciliùs perdat illuſos. Quomodo igitur non amabitis prę vobis ardentiùs alios, qui ſine aliorum ſocietate vos creditis quaſi triſtos, & informes, pulcros vero, ideſt, bonos, honeſtos, perfectòſque conſociatos amicis? Quis maiorem mihi charitatem obijciat? Cuius illud eſto fidei argumentum; quoniam, dum communi vtilitati conſulendū eſt, ſinè modo amantes, dum priuatæ cauendum, eſtis ſupra modum amentes; de proprio nempè commodo ne cogitantes quidem, attentiùs ſtudetis eorum quos amatis profectibus. Sed ô! Sentio me ineptè amentes appellaſſe, quos nuper ſapientiſſimos demirabar: ſi tamen errarim, ſubiugendis emendor; quos vocabam amentes, vt vnicè amantes oſtenderem, aptiùs dictitabo demortuos. Patritius Venetus, qui naſcitur Reipublicæ, quid mireris, ſi ſibi nō viuat, ſed alijs? Declara tu iſtud ſacramentum Amoris Lyricorum primas Orphee, qui potentiſſimum affectuum cecinisti clauigerum. Cur dediſti pro inſignibus claues Amori? Nonne quia pectus recludit amantium, vt animus exeat vnde animat (hoc eſt, vt in ſeipſo moriatur) abiturus quò amat, vt extra ſe viuat?

uat? Ita velletis vos mutuatis animis ad amicorum pectora tranſmigrare victuri, & viciſsim redamantes ad veſtros ſinus remeare claudendos. Quam propterea blandimentorum artem non attentatis? Conciliandi ſunt vobis animi? Habetis ſuadam in labris: ineſcandi? Ex ore philtra profunditis: deuinciendi? Laqueos occultatis in moribus: detinendi? Abundatis illecebris. Incipio cognoſcere Veneres non ſemper Amores generare: Amor & ipſe eſt amoris mutui parens fœcundus, ſed vberior Bonitas. Venus, Amor, Bonitas, Mater, Filius, & Neptis ſunt; ex his quodlibet eſt ſua poſteritate ſterilius. Nemo carius amatur bono, benefactore. Inſidet ori veſtro ſicut dignitas formæ, ſic natus amor, ſeſſitant circum gratiæ, & Bonitas, quæ conſpicienti præter voluptatem, fauores, & beneficia deſpondent; illis verò, qui in vos aliquid voluntatis inſinuant, etiam amicitiam. Soli proinde per vrbem inceditis haud priuatis diſſimiles, vt coniectemus, veſtræ conditionis excellentiam non obſtare quominus vobiſcum de amicitiæ fœdere paciſcamur etiam priuati; & longè fortunis inferiores. O quantum nobilita-

tem veſtram amplitudinis adaugetis acceſſione, dum veſtræ dignitatis modeſtiſſimi æſtimatores, cuique ex populo conſuetudinis facitis copiam! Pares equidem popularibus vos habitus, modeſtia, morùmque præmonſtrat affabilitas, hac tamen nobiliores notà diſtinguimus, quia meliores: gratiæ quæ manent in vultibus, ſed profusè manant in meritos, indicant generoſas animas.

Subſannemus illorum ſuperbiam, qui ſi præſint populis, ac ſi ab hominibus eſſent exempti, tàm altò turgeſcunt faſtu, vt ducant ſibi dedecori eſſe, ſi deſcendant ad facilitatis lenitatem. Amicos nempè dedignantur, ne æquales habeant, arbitrati ſe principis non ſuſtinere perſonam, cum ſe demittant ad cultum amicitię; perindè quaſi amicitia non ſit virtus, aut vulgaris. O Princeps, ſed miſer, cui imminuto amicorum numero, ſeruorum turba cõcreſcit! Cernitis huiuſmodi dignitatis indignitatem? Et quàm impotenter gerat imperium, qui timet, ne cum titulo principatus videatur ęqualis? Qualis autem, dempto prælationis additamento? Præclarius eſt ex principe amicum, quàm ex amico principem agere. Idcircò illud miramur magis,

quòd vos ſinè faſtu graues, citra æqualitatis periculum; res duas longiſſimo remotas interſtitio coniungitis, primatum ſublimitatem cum mediocritate vulgarium. Nihil grauitati demiſſio, nihil lenitati grauitas, facilitas tantæ nihil detrahit auctoritati. Amplexu quidem excipitis amplexurum vos, at inclinaturum ſe corpus ſiſtit indulgentia; quæ ægrè fert audire vouentes homines, genibùſque prociduis videre ſupplicantes; curuat tamen animos gratiſſimo quodam imperio blandiſſima illa maieſtas, quæ plena comitatis efferos emulcet, & rudes quòſque allicit ad reuerentiam. Si odium tantiſper poſſet in vobis ſuſtinere contuitum, aut amare condiſceret, vel ſi in iſta arte foret indocile, tandiù herclè ſuſpenſum à mali imprecatione deſiſteret. Videre vos paſsìm occurrentibus non tàm obuium oſculum dare fideliter, quàm gratius accipere; ò quale videntibus eſt documentum amoris! Cùm ſalutantibus, inflexa tantulùm ceruice, manùque pectori admota ſalutem remittitis, ò quàm ingenuum ſymbolum ſynceritatis! Operto porrò capite cor aperitis, nihilque aſſeritis, ne nutu quidem, quin compreſſi

cordis ſpiritum palmà tanquã contortum de ve ſtra fidelitate teſtemini. Quid non valet ingenua probitas? Quid non cogit? Adde Principum proba ingenuitas? Si detis mihi ſemel in naturæ rebus iſtiuſmodi virtuti ſimile quid vnum excogitare, Pantarbam accerſo: Lapillus eſt, qui in tantulo corpore tantum ſplendoris, ardoris tantum, tantum virium accumulat, vt pro radijs acuat tot ſpicula, imò verò tot laqueos emittat, quibus lapides longo inter ſe ſpatio diſperſos cogat, aggeret, aceruet. Dignior igitur regibus virtus eſt, dignàque vobis, Dominos eſſe, & nullos habere loco ſeruorum, tutiùſque eſt cum liberis amoris leges implere, quàm timoris edicta conſcribere.

Et ſanè, in publicis rebus, ſi de metu ciuibus incutiendo decernatur, nihil ingratiùs; ſi populi in ſeruitutem aſſerendi propoſitum circumferatur, ad abominationem vſque intolerabiliùs nihil auditur. Amoris potiùs frequenter iuuat meminiſſe vocabuli. Germani ſunt homo Venetus, & Amor; vterque libertatis legitima proles, ingenui ambo, neuter cogi poteſt, nec ſuſtinet ſe eſſe mancipium. Quòd vos hucùſque om-

nes

nes mundi Monarchas ad mutuum amorem non attraxeritis, fuit vel prouidentia fatorum, quæ vna eſt amore valentior; vel infidelis hominum ingratitudo, quę per quaſuis beneficiorum arrhas in debitæ retributionis fide contineri minime poteſt; vel tandem morum diſparitas nullius vnquàm pronuba affinitatis.

At, quod reliquum eſt, quid leniter intentatum omittitis, vt cum omnibus amicitias incatis? Neminem planè timentes concupitis omnes amicos, omnibuſque fauorabili atteſtatione præ vos fertis, nihil malle, quàm pacem. Et hanc iam initam quàm religioſi vſque ad aras excolitis! Neque enim (qui plurimis eſt mos) vtilitate probatis, at fide amicitiam; quam, cum turpis lucri cupido ſollicitat, quaſi meretricem inceſtant: vobis res eſt intemeranda res inuiolabilis. Inueniebat nullum Cicero, qui honores, magiſtratus, imperium, poteſtatem amicitiæ non anteponeret, cùm horum omnium optio præberetur; reperio ipſe, quid dicò reperio, quod cuique exploratum eſt? Reperiò tamen, prædictis omnibus vos amicitiam præferre, & pro ipſa contracta, vt, non tàm ſeruetur, quàm adiue-

Prometheus inſpirabit maleuolentiam? Oderit potiùs Amor iſthæc alimenta rixarum, ſi poterit amor odiſſe. Et Veneti quandònam controuerſiarum auctores? Nempè magiſtri Pacis bellorum documentis (an magis inſanijs?) fœderatos erudient? Imò vero, ſi qua vnquàm inter principes ira deferbuit, anteuenientes incendiũ ſcintillas reſtinxerunt. Præterquàm quòd, quis prohibet à maleficio (propè dixi, quis continet in officio?) potentiſſimum omnium hoſtem, & hoſtem barbarum, Turcam, ne Italiam, ne orbem totum infeſtet? Venetus. Quis ad quodcũque læſum Italiæ membrum curaturus accurrit, viuacioris inſtar ſanguinis ad corporis ſanandum vulnus diffluentis? Venetus. Et quis vel reddendæ pacis, vel conſeruandæ Latinis oculatus inuigilat? Venetus. Si concordiæ exturbator ſit deterrendus, minaciter quaſi ſe hoſtem indicit: ſi viribus adæquandus, debiliori ſuffragatur: ſi compeſcendus, frænum opponit: ſi adhortandus ad pacis æquanimitatem, Oratores legit, & legat, primùſque rogat, prior ipſe compoſitus, partium neutralis tutor, vtrique parti fautor aſſiſtit; vix dici poteſt, quantùm, vt ada-

mantinis vinculis tranquillitas constringatur Italiæ, bellorúmque ſeminaria radicitùs euellantur, Venetus adlaboret. Liceatinde mihi ſemel de Diuinis interpretari, & præteritorum origines, causáſque futurorum diuinare piorem in partem: arbitror, ideo Reipublicę huius ſemper auguſtæ proſperitatem benè fortunari, quia vos aliorum commodum dextero ſemper fauore protegitis. Non diù improbis obſecundat Soſpes æternus, at æquiſſimus tolerat breui maleficos, ne malum communionis ſortem bono ſuffuretur.

Quare toties conſpirantibus in veſtram ruinam tot hoſtibus, illorum corruentibus machinis tot diſcrimina rerum euaſiſtis illęſi? Quia periclitantibus alijs, opèmque veſtram optantibus offertis præſidiarias manus, & affertis. Quare deficientibus amicorum ſuppetijs, Dei nunquam vobis defecit auxilium? Quia in ſecundis, miſerorum ſubuenitis aduerſis. Concertarunt ad veſtri defenſam terræ, maria, cœlum, Deus quando impares violentis viribus, & ſæpiùs iniquis forſan ceſſiſſetis. Conciuium aliquando proditio, exterorum interdum coniuratio, vtro-

rùm-

rùmque conflagrans in veſtram libertatem inuidia, affectatæ tyrannidis machinamenta conſtruebat; quæ quidem per ſummam fraudem hominibus occulta, vnus Deus, qui ſpeciali cuſtodia huius regni clauum gubernat inſomnis, poterat aperire, atque ita amoliri. Et ne multa hìc nectam miracula, quibus vos diuinitùs illis ereptos periculis profitemini, ſequens vnum adijciam. Expediuerat nec multùm pridem militaribus dolis inſtructiſſimus Sinon gregarij militis turmam, at non turmatìm ad huius Ilij perniciem. Calidiſſimi Dncis iam nomen diuinaſtis. Iſthæc Ciuitatis Libertas, vti ſua fœlicitate ſecura, ita ſemper impauida fraudium, vltrò excipiebat proditores in ſinum. Hoſpes, & hoſtis indiſcriminatìm permiſceri cum ciue: ille ſubdolus commodùm mentiri perſonam, ac ſimulare ſe nullius ſceleris conſcios agnoſcere: ciuium aures, & oculi quaſi peregrinari, neque in peruagato ciuitatis ſuſurro verſari: Venetiæ ſolitis recreare delicijs ſuo inſtantes excidio: Conuena ſollicitior hoſpitio funera præparare. Conſceleratæ phalangis vndecùnque diſtributa facinora totam Vrbem obſederant. Pars vna

 flam-

flammis abſumenda, illa ſubuertenda cuniculis, alia circumuenienda ſicarijs, vniuerſa ad ferale ſignum deſtinabantur exitio. Vrbs tota in Troianum equum euaſerat, grauida hoſtibus, moxque enixura cohortes in ſui direptionem. Expectabatur dum in prætorium magnum ad ſtatas noctis horas nobilitatis frequētia conueniret, vt, cum de alijs conſuleret, ſui inconſulta periculi falleretur, dùmque præcaueret futuris, præſenti iam fato necaretur incauta. O Proditio quantùm potes contra ſecuros, qui nihil potes contra timentes! Excuſatam vult mundus prouidentiam veſtram, Viri alioquì prudentiſſimi, quæ & ipſa inter commune hominum infortunium eſt dolis obnoxia. Non eſt quippè datum mortalium vlli cuncta præuidere, ideo poteſtis & vos proditionibus interdum decipi, ſed non vinci: illud eſt inſuperabilis humanitatis defectus, iſtud Numinis patrocinantis effectus. Quis neget glorioſius eſſe, quàm proprio conſilio, Dei curâ defendi? Id prudentiæ quidem indicium, ſed ſæpè impotentis; hoc verò ſemper pietatis argumentum eſt, & meriti. Nullus hominum potuiſſet tantis ſuſpicari de auſis, quæ vna potuit me-

di-

ditari prodigioſa Tyrannidis ambitio, & impotentiſſima duntaxat exequi perfidia. Permiſit ſummus rerum Cuſtos ſecretum graſſatorum inſidijs, at vni ſibi gloriam nudandæ fallaciæ reſeruaſſit. Ipſi vos affirmatis, proditos non ſine diuino numine proditores. Heù quot iniurias vna dies orbi intuliſſet, & mala! Quot peripetias concluſiſſet vnius ſcenæ compendium! Quot bona abſtuliſſet vniuerſo tam famoſa malitia! Abſtuliſſet Italiæ præſidium, ſuum decus Europæ, exteris communem patriam, mundo miraculum, refugium libertati, rebus publicis ideam, fidam noſtræ religionis tutelam, Deo dilectum regnum. Si intentatum malum tantæ calamitatis eſſet, & culpæ, quantæ illatum; & niſi debitas flagitio pœnas exoluiſsēt fraudulenti, ſuperorum imprecarer vltionem, quæ deſæuiret acriùs in manes illos immanes.

Auditiſne vt Deus benè cæpta, benèfacta, beneficia præſertim in omnes fœnerata retributione compenſet? Et vt proſperè fœlicitet regnum, in quo præter alias, virtus regnat Bonitatis? Sed ego reſtrictè vſque hùc beneficentię veſtræ laxitatem emetiebar. Quid enim potuiſtis

bo-

boni conferre vel extraneis, vel parùm amicis, vel hoſtibus, qui vix digni ſunt, quibus benefiat? Benemerentes mox inducam, & gratiores, qui vnà mecum palam charitatem veſtram cum auditorum admiratione prædicabunt.

Præcurrit cæteros expeditior ex opum ſarcina, velociòrque paupertas, quæ ſicut in omnibus inornata, ita citra verborum ornatum, erga ſe ſe fauores nouit efferre. Certatim igitur, ſingula tamen æqualiter benedicunt miſericordiam veſtram tot extructa mendicis, ac infirmis Xenodochia, tot Brephotrophia infantium, orphanorum, puellarúmque tot Curotrophia, tot ad ſubſidium erecta Conuenæ, Aduenæ, Indigenæ Xenotrophia. Conclamant, ſatis, ſupèrque ſibi prouiſum virginum verecundia, imperitia puerorum, viduarum pudor, ſenium infirmitas. Pauperum miſeriæ in hoc ſtatu fœliciũ deſinunt eſſe miſeræ. Mendicitas nõ vexatur errabunda ſub dio, deſtinatis ſibi ædibus excipitur: eſuries miſerationis ſaginatur alimento, ſitis auidas fauces pietatis fons rigat vberrimè, nuditati eleemoſyna præſtat integumentum: ſuos habet Venetijs prouentus pauper, & ſuas meſſes.

Om-

Omnino hominis effigiem videre miſeram non perferetis. Hæc ego dum narro, nihil ſtrictius, nihil obijcitur amplius dum conſidero, O pijſſimi cordis effuſiſſimam teneritatem! Sed, ò miſericordem prouidentiam, cauere, ne in pauperis nuditate algeat ſupremus Spiritus, cuius amoris ardor recreat vniuerſum! Ne vè illorum fame ille contabeſcat, de cuius penu apparatur mundo conuiuium! Ferre propterèa egeſtati præſidium, ne cum mendico diuitiarum elargitor Deus emendicet. Diuitiæ non vobis inſeruiunt, vt plummæ pauonibus, ad pompam dico, ſed aduolantes adeſtis vbi ope veſtra ſit opus. Extorris eſt priuatis his domibus, tota vrbe, ipſo regno rabies illa efferata, furor ille effrenatus, illa fames in ſaturitate voracior (adumbrabo monſtruoſiùs auaritiam) Hydra illa, quę ſeptem gurgitibus inhians ad inexplebilem ventrem tranſmittat aurum, hos non inficit Lacus, vt iamdudum Lernam. Neque in hoc mari lapideſcit in ſcopulum illa auiditatis nunquam expletę Charybdis, quæ ad vorandas deliſcat, nec tamen euomitura diuitias. Diuites Veneti ambidextri ſunt, ſeu veriùs centum manuum omnigenis

be-

beneficiorum formis pauperiei dona multipli-cant. Perſcruteris interiora Ciuitatis, innumeros inuenies alieno ſuffragio diteſcere, & ſi quos mendicos offendas, ijdem colligunt quicquid locupletum vſibus ſupereſt: id eſt congerunt benefactoribus ſuis theſauros in Cœlo, ne quicquam auri auaritia condat ſub terram. Quicùnque apud vos concionantur, & ſuadent, quàm theſaurum congerere, eſſe erogare ſecuriùs; in pauperum manu reponere, eſſe conſeruare crumenis; fuſiùs elargiri, eſſe ſibi retinere tenaciùs, edoctos iam, & perſuaſos alloquuntur: id præſtatis vlteriùs, vt naturali commiſerationis affectui ſatisfaciatis, promptiùs vt Euangelij conſilijs. Ipſi vos tot miſericordię miniſterijs luculentiùs docetis, illum reddere ſibi cum fœnore, qui mutuat pauperi; & quicquid iſte non recipit, fures ſurripere, vel gulam depaſci, aut luxum, opum populatorem diſperdere; & id, quod iſta non perdunt, auaritiam ſepelire, ne in domini vſum euocetur. Indubitatum eſt, pijſſimi Patres, omnibùſque perſuaſiſſimum, occultas diuitias inutiles eſſe, & (quod luctuoſiùs eſt) nocentiſſimas. Miremur otioſæ rei læthalia vulne-

 ra:

ra: clauſum in loculis aurum proſternit eminùs pauperem, cominùs ingratius cuſtodem occidit. Bonitas veſtra reddit illud vobis, & alijs innocuum, vtriſque petutile.

Ad eni erga pauperes affectione, ad ardentiorem in literatos tempeſtiuus eſt tranſitus, enim verò pauperem, & doctum iniqua ſæpè fortuna facit affines. In literarum tamen pelago remeantes non impellentur ad Syrtes, nec illudendi illidentur ad ſcopulos, at naufragaturi nunquàm literarij negotij exportabunt ſecuras merces, ſi Veneto Polo ſe credant. Vberior eſt quàm olim Hetruria, nunc Hadria Mecœnatum, qui exules omni Parnaſſo Muſas, quaſique inhoſpito ſibi peregrinantes orbe, domi recipiunt. Suos quoque Lucullos enutrit, vt dudum Roma, quorum datis præmijs de virtute optimè meriti affluenter locupletantur. Et Catones educat, qui remotiſſimos locorum ſpatijs ſapientes aſciſcunt, eoſque inſigniter muneribus donant, ac honoribus.

Sileri patior de veſtro Gymnaſio, vel potiùs virtutum ſyderibus clariſſimo Athenæo, Patauium loquor, quod celeberrimis ab vltima vſque

Thule conductis viris titulos retulit honeſtatis, quibus mutuò ſibi collatis, vt honorificentiſſimum vnà omnium, ſingulorumq; acclamatione celebratur. Nolo exire Venetijs, huius, vel alterius laudationis themata mutuaturus; quæuis enim non tàm ex voto, quàm ſupra votum intus ſuperſunt adminicula, illa præſertim, quæ ad componendas Mecœnatibus exornationes materiem ſuggerunt inexhauſtam! Quocunque me vertam Vrbis, quemlibet opulentum virum inquiram, facilè peregrinarum artium portum inueniam, & patronum. Illos, in quibus aliquis honeſtæ diſciplinæ nitor effulgeat, ò quàm magnis pro humanitate, ſingularique fauore beneficijs proſequimini! Non eſtis ità in ſcrutatione ſolliciti, an vitioſus hoſpes, vt, an virtute præclarus adhoc littus aduentet. Homini nanque vel perditiſſimo bonorum exemplum ſufficere iudicatis, vt emendetur; veſter verò in illuſtres viros affectus non ſinit vos de illorum cura negligere, quos vni Principum tutelæ conſueſcitis dicere eſſe commendandos. Idcirco magnarum rerum Profeſſores ſuis deſerendis Patrijs nuntium remittentes confluunt ad hoc artium om-

nium

nium Amphitheatrum: volunt vos ſuorum conatuum Agonothetas, tanquam ſi dubitarent de ſua ſcientia, niſi vos ſciretis illos ſcire, & approbaretis. Quid facerent aliud, qui exploratum haberent, in hac arena deſpectam minime torpere virtutem, ſed quaſi Heraclio lapidi ſtatim admoueri probandam, probatam ſemel congruis cooptari miniſterijs, cooptatam, eiſdemq; egregiè perſunctam maioribus gradatim ſuffici? Creditur n. hìc, & quidem iure, & merito, promotus non futurus impar maiori, qui fuerit minori gradu ſuperior: & ſi contingat abſolutam ſemel adminiſtrationem protrahere, nouis tamen applauſibus, geminata etiam honoris retributione dignatur. Virtus, cuius vita rebus omnibus actuoſior in exercitio conſiſtit, petit id loci, vbi non otiabitur, & vbi operatura ſperat ſe reportaturam honeſtamentum. Suis jam perquàm docta iacturis refugit illò ire, dedignatur ibi morari, vbi iacet obſcura, atq; perinde ignota contemnitur; imo vero vbi clareſcit, vbi cognoſcitur & laudatur, moris offenditur, quoniam laudata decreſcit, niſi alijs officijs augeatur. Parùm dixi decreſcit; cur non dixerim,

prorſus deperit, cui nullum extra ſuccurrat ali-mentum? Faſtidit iam Virtus ad nauſeam vſque ingratum illud ad ſui compenſationem, & ſola-men excogitatum elogium. Ipſa ſibi Virtus mer-ces pulcherrima. Quanquam enim ea ſit, maxi-mûmque bonum habentis, ſi tamen tralatitijs priuetur fortunis, reclamat, indolet, queritur, veluti contra fas omne fraudata: & rerum alio-qui omnium honeſtiſſima vileſcit, ſi vileſcere poteſt virtus. At hoc ſub cælo, nihil ſplendori ſuo aduerſum obſiſtit, quo inter obſcuritatis vm-bras patiatur eclypſim; clariſſima hic fulget, quæ vel auro, vel ſplendidiùs illuſtratur hono-ribus. In rerum naturis ſicut nihil ferri duritiâ, ita nihil auri grauitate pugnacius: vti illius vi-ctorem in Ida magnetem, ita iſtius ſyderitim Venetijs inuenimus: ea eſt virtus, quæ illam re-rum omnium domitricem materiam indiligen-tiùs clauibus cuſtoditam, quàm cordibus, ad ſe captiuandam rapit ſine rapina, inuito nemine. Fit inde, vt in hoc Amantium conſilio ſibi for-tunæ non egeat, neq; cum iſta ſtudeat quicquam habere commune: quæſtibus indignata fortu-tis, offert ſe iuuandam electioni ſapientum.

Num

Num Virtus non placitura virtuti Venetorum? Cùm verò placuerit, non adamabitur? Et adamata, quomodo deſeretur fortunæ ludibrio? Audiui te, Sereniſſime Princeps, illorum damnare Principum morem (an errorem?) qui nihil penſi habent amare ſtudioſos. Quid, dicebas (& quàm querulus id dicebas?) diligere poſſunt, neglectà curà virtutis? Si Princeps eſt doctus, cur id omittit officij, cum tàm facile ſit indulgere conſimili, imò negare difficile? Cur idipſum non præſtat indoctus, vt ſuam cum doctis mentiatur ſimilitudinem? Et quando floccifaciat hanc vt vilem gloriam, quare, vt ne tàm palàm prodat iniuriam? Deſtitutus ita ſtudioſus, bonas artes, & ipſe culturà deſtituet, quas ſuo Domino exoſas animaduertit: & incipiet credere ſine virtute poſſe principatus obtineri faſtigium, atque (quot mala ab vno malo!) factus inde vitioſus Principis detrectabit imperium, qui anteà & enſe, & calamo defendiſſet ſi doctus, & carus. Sordent vobis item illi, æquiſſimi Patres, quorum cum honeſtè facienti dare præmium interſit, illud ſibi vt proprium erogant, vel pro indigentiæ opportunitate non confe-

runt,

runt, vel collaturi, priùs merentem procraſtinatione delaſſant, expectantiſque anxia vota ſic fatigant, vt quàm ab illis mercedem, faciliùs ſit, quod aiunt, extorquere fulmen à Ioue. Vos, ne remorante distributionē conſenſu, in poſtulantis precibus naſcatur culpa diffidentiæ, ne à creditore ematur pretio patientiæ ſibi iam debitum, ne vè dilatum diutiùs quod placet reddatur ingratum, gratijs veſtris gratias celeritatis adiungitis. Ità ſanè, quia noſtis muneris vnitatem multiplicari, ſi citrà cunctationis difficultatem ſperanti contingat. Nihil equidem efficitis non conſultum, inconſulti tamen videmini, cùm agitur de honeſtanda virtute. Adeo anticipatis dignum præuenitis auxilijs, vt vix aduertat ille congruere ſibi alicuius fauoris decus, vix efflagitare deliberet, & vobis idipſum fuerit conferendi propoſitum. Igitur, ſubijciet aliquis vnus, pererrabit manus dum cæca diſtribuet? Interdum, inquam: ineuitabile eſt homini aliquoties errare, nūquàm tamen innocentiùs impletur errandi neceſſitas, quàm beneficio. Si millies ità erraueris, ſi mille dona proieceris, modò ſemel dignum inuenias, tot errores, iactu-

ctu-

ctitas tantas vnica largitione compenſabis. Quid? Lentitudinem ergo deſiderares in dono? Damnum erit; nec recipientis tantùm, ſed & dantis, qui non dando commodùm pro occaſionis inſtantia, conſtituit ſe debitorem. Ah! Iſtud fuit, iſtud eſt, erit ſemper iſtud virtutis infortunium. Et vtinam demum ceſſarent tot damna, & præiudicia ſapientium, ita vt non cogerentur vltra ſatyricam acuere bilem in iudices ſuos, nec deferre appellationes ad Deum protractam nimiùm mercedis moram culpantes, & ſæpè decretam meriti defraudandi ſententiam! Ita planè non audirentur paſſim ſpectatiſſimi diuerſarum artium cultores iſta lamentantes cum Petro; Domine non per vnam noctem, per totam vitam laborauimus, & nihil prehendimus, quid tandem erit nobis? Siccine nos hominum ſemper furor iſte deſpiciet dixerim, an decipiet? Quamdiù inimici noſtri erunt Iudices? Itane his ſemper inſignibus dignoſcemur vt docti, ſi miſeri videamur, imo (quod dirius eſt) ſi miſeri ſimus, & non videamur? Si attritis togis veriùs nudi, quàm induti neglectu conſeneſcamus? Si expectatione præmiorum iam feſſi? Si denique in-

infœlicis vitæ tædio conſumpti? Et tu, Acquiſſime, quem ad finem tàm iniquo illorum iudicio reſcribes? Infœlix Virtus! Vitij,vt plurimùm niſi ſint plurima, aliquod certè vnum ſemper eſt lucrum voluptatis: virtutem, ne citra ſudoris aleam aſſequamur, labor vallat immodicus, poſſeſſa demùm auget ſolis nocumentis innocentiſſima ſui ſtudioſos. Hæ, mœſtioreſq; nęniæ adcanentur fortaſsis vſquam, quæ commiſerationem in auditorum corda transfundent; at *in* hoc Areopago conqueritur nihil, præter vitium, inertia, ignauia, quibus ſanè negantur pręmia virtutum. Debitum dignitati non ſortitur indignitas: omnium ſeſe bonorum exortem dolet immeritus. Gnathones aliò contendunt, fugiunt hinc ſcurræ, hinc adulatores abſcedunt, vbi nec aula eſt, neque aura, quam occupent, quam captent. Quæ de hoc Magiſtratu dicũtur à laudatis viris, Panegyrici ſunt: quæ aguntur, gratiarum actiones: Elogia ſunt, quæ frequenter leguntur, & multigenæ laudationes. Quorſus iſthæc? Venetæ virtutis monimenta ſunt, & charitatis erga virtutem alienam gratiſſimi teſtes. An dubitat aliquis, ne huius dicti pendeat

cer-

certitudo? In eo ancipitem, nutantèmque fidem confirmet, quòd oratorum nemo laudabit debitorem ſibi diutiùs inuerecundum. Illud, licèt aliquantulùm audax, vt verum tamen oſtendam, Deum ipſum omni digniſſimum laude, niſi ſuæ bonitatis theſauros prodegiſſet hominibus, debitis ſibi cariturum encomijs. Qui dixerat, Primus timor Deum fecit in mundo, dixiſſet plauſibiliùs, ſi ſpes auxilij, ſi præmia, ſi dona. Deum eſſe nulla facundiùs ratione conuincimus, quàm accepta vtilitate, qui ſolùm bonum nouimus, quod fructuoſum. Indigeat homo, & ſperet, Dei fideliſſimus erit, & pro veritate laudator: deſperet, ita accendetur in ſatyram, vt dixerit palàm inſipiens, non eſt Deus. An non fruſtrabit ingenuus malè fidentem laudum expectationem illius, qui alijs inutilis, vni ſibi ſit natus, cuius inhumanos mores probris lancinare prudentiùs ducet? Nolo nunc vllius malitiam in probos, & ſpectatos viros afferre, dum loquor de Bonitate Venetorum in eoſdem, tametſi priuer argumento non leui laudandi bonos à comparatione malorum. Si plures habere laudatores, eoſdèmque laudatiſſimos ſit ſi-

gnum bonitatis eximiæ, eſſent iſta retuliſſe ſatis pro Venetorum celebranda Bonitate, iàmque vltimam orationis meę partem impleuiſſem, niſi adhuc maiora relinquerentur.

Interea hìc conuenite virtutum amaſij; laurus huc veſtras, docti, conſerite, quæ ſicubi ſterileſcant inanes, fertilius hìc ſolum. Vſquàm ne extimeſcunt infortuniorum hyemale defluuium? Hìc perpetuò vernabunt, & frondeſcent, non tantùm virore fiduciæ, verùm etiam honorum floribus decorabuntur, fructuum grauabuntur, & meſſibus. Modò digni ſitis lauro, auro non indigebitis. An alibi vos inobſcurat, & propemodùm ſepelit Inuidia? Clareſcit hìc virtus, &, vt miremini magis, etiam funerata viuiſcit. Nulli eſt obnoxia contemptui, nulli mortalitatis fato ſubiecta. Quicquid erit mortale hominum, communi certè mortalium lege hìc etiam deperibit; fama tamen internuncia virtutis vniuerſas allegatur in oras: & ne quicquam deſit defunctorum gloriæ, habet Venetijs vicarios lapides, elaborata æra, quæ ſi maximè muta, ac mortua, eloquuntur tamen, & alunt vitam extinctis. Quot reueremur ſuperſtites ſibi

bi

bi Heroes (inſignium virtute virorum ſtatuas ſic appello) quos dum inuiſimus intuidemus? Haud credimus interemptos, quorum mortem vità noſtrà æſtimamus optabiliorem. Iuuat celebres viros vixiſſe pro vobis, dum vos iam demortuis famoſam vitam rependitis. Si cudendę ſint ſtatuæ, aurum ære perenniori metallo mutatis. Si concinnanda ad perpetuitatem monimenta, imagines ex gemmis funditis: nihil carum non expenſum, vt virorum mercemini immortalitatem. His impendijs ſoluitis tempori, ſi ſoluere ſit negare tempori tributa mortalitatis. Nullo nempè emolumento compenſatis virtutem, quàm momento æternitatis.

Alia adhuc de hac beneficentia reliqua eſſent, quæ dicerentur, at verò indicit ſilentium hoc in ipſo argumento tardioris impatiens commemorationis Amor Zelotypus Patriæ. Princeps hic affectuum motor non patitur diù multùmque cæteros ſibi ancillantes efferre. Ipſe Amorum Anteſignanus erudit, quemadmodum ſuum vnuſquiſque bonum inſequi debeat, & aſſequi. Dat equidem alijs, vt per ſe ipſum liceat amare, quæ cupiunt, ſed eo fœdere, vt pro-

pter ſe ipſum inchoetur affectio, breuìque finiatur in ſeſe. Sic hactenus dum hoſtibus veſtris, vel illorum ſupra meritum, indulgebatis, non abnuebat: dum multijugo officiorum genere impensè fauebatis amicis, laudabat: dum pauperes tantoperè leuabatis auxilijs, hortabatur: iubebat, vt bonas artes, illorùmque ſtudium pro virili adiuuaretis. Id genus alia, & maiora, ſi dantur, vltro permittit præſtari merentibus, ſi modò in Patriæ vel ſeruandæ, vel augendæ, vel honeſtandæ gratiam cuncta peragantur. Vnum ſibi aſciſcit vnicè, vitam veſtram, quam ipſe vnus Patriæ deuouit. O charitas, ſupra quàm dici poſſit, effuſa! Fortunarum nihil ſibi proprium facere, vitam ipſam, qua nil magis proprium, poſſidere tanquam reddendam. O Venetiæ! O Patria quàm cara! Si poſſes amitti, tot, tantorùmque principum ſanguine, diſpendijs tantis redimerere. Quæ curæ, qui conatus, quod ſtudium ciuium tuorum, vt illi te, tu illis digni videamini? Si conniuente ſemel Auctore naturæ, res inditos ſibi ordines præterirent, ſi ſemel Plato hanc patriam rediuiuus inuiſeres, idealem illam, quam architectante fictione componebas,

obli-

obliterares à mente; tui fortè teipſum figmenti puderet; quòd ciuibus orbis non poſſet tantum inuidiæ, deſiderij tantum incutere, quantum Venetiæ. Omnia hìc bona videres incluſa, ab Homeri tui dolio diſcuſſa, id eſt, nulli commiſta malo. Si quis quærat, quæ bona? Virtus veſtra, ò Ciues: dixi omnia. Hæc prima Patriæ fœlicitas, cæteræ conſequentur: triumphatis enim Iuſtitià, & Bonitate ſceleribus, illis præcipuè, quę malefici j falce ſocietatis nexus excidunt, Ambitione, Inuidia, Iniuſtitia, ſuccedit ſecundo loco libertas. Qui verò ſcitis, quàm à cunabulis libertatem traducere, eſſe hæreditatam conſeruare glorioſiùs, quid prætermittitis, imo quid non admittitis, vt poſſeſſam tueamini, & ſi ſit incrementis occaſio, etiam amplificetis? Et qui experimini Patriæ fœlicitatem, eſſe ciuium rei iurè concupitæ fruitionem, quid veſtris deſideratur partibus, vt ſuum quicùnque conciuium fructum accipiat? Multa illa, quæ ſupra de Potentia recenſebam, quæ narrabam de Iuſtitia, illa omnia, quę de Bonitate ſubdebam, ad id attinebant, vt veſtræ pietatis in patriam rationes paſsim diſſeminarent, ac demonſtrarent, quemadmo-

admo-

admodum ſingularum ordinibus rerum ſapienter conſulatur, cunctarùmque prouideatur abundè neceſſitati. Quis èſt inter Auditores meos, ſed quid ego inter Auditores tantùm, & non verius inter omnes dixi? Quis igitur omnes eſt inter homines, qui meis reclamet aſſertis? Quis in patriam ſuam Venetorum accuſet ingratitudinem, criminetur iniuriam? Scilicet exprobrare poterit Ciuitatem incolis, municipibus, indigenis vacuam: ſolitarios lares ſitum ducentes, & vaſtitatem: iacentes ſinè hæredibus ſarcinas deſolatis domibus: poterit inter pænitendas vrbes, has, funeſta potiùs miſerorum ſpelæa, Venetias computare: indicabit rurſus ſtolatas viduas florentis quondam fortunæ memoriam planctibus delinientes: lugentes peremptis iniurià parentibus pupillos: maritos violatis, deſertìſque thalamis lamentantes: ſenes ſublatis iniquè liberis ſoluentes miſerandas inferias. Cõmiſerabitur fortè inſontes cum ſuo exilio conquerentes proſcripta bona: collachrymabit illorum caſus, quorum nulla infœlicitas maior, quàm recordari ſe fuiſſe fœlices, Nobiles, inquam, viros alienis proſtratos pedibus mendicantes. Quiſ-

quàm

quàm ne affirmet iſthæc,quæ dum protuli ſycophantam illuſi? Et vbinam gentium Patria frequentior populo, florentior ciuibus, omni ex parte ſplendidior? Vbinam hominum vxorij thalami munitiores, quàm Venetorum pudore? Securiores quis vſquàm occultat opes, imo quis tutiùs publicas facit, quàm hìc, vbi iudicum non tàm tutelà defenduntur, quàm liberalitate concreſcunt? Venetijs igitur viduæ patrocinij, clientelæ clauo deſtituentur pupilli, vbi gubernant mille Patres? Ergo Venetijs, vbi natalium obſcuritas nunquàm nobilitate illuſtratur, niſi priùs ſingulari quadam nobilitata virtute, generis ſplendor degener in paupertate ſordeſcet? Non eſt paupertas, non eſt Venetæ nobilitatis opprobrium. Furat quantumuis deprędatrix fortuna, omnèſque nobilium fortunas expilet, ijs tamen ita Senatus pro decore ſuccurrit, vt non cogantur vilibus operis aſſueſcere nobiles manus. Suæ item matres gratulantur fœcunditati, lętantur, quòd tales liberos libertati genuerint: exacti temporis fruuntur recordatione ſeniores: ſuis coniugibus mariti, ſuis filij parentibus, ſuis omnes opibus, ſua (quod eſt iucun-

cundius) libertate congaudent.

Dum hæc de Bonitate veſtra in Patriam compendioſè percurro, occurrit anxia de more vetuſtas, quamuis laudationem peroſa, niſi laudatorum comitatum, & ipſa ſuis augeat heroibus. Indulgete parumper, modeſtiſſimi Viri, cedite vos inter locum ſenectuti. Quas proijciet ampullas inflata nonnunquàm verbis antiquitas? Quos proferet Viros, quibuſcum ipſe vos cum lucro non componam? Meos, inquit, Curtios tot decantatos annalibus, Catones meos tot literis poſteritati laudatos, meos Codros nunquàm in bonorum ciuium conuentu tacendos. Age porrò: Videbare, Curti, miles perquàm cordatus in illo equi, armorùmque delectu: ſed vbi deterrebant equitum turbæ, vbinam Claſsium proræ rudebant? Cucurriſti ſtrenuus in ſtadio: ſed cuiuſnam concertantis occurſu? Nolo tua facta ſecus interpretari: tua præſtita Romæ beneficia non appellabo præcipitia, temeraria, deſperata remedia, quod poſſem: ſit vt vis: ſit nullum (id quod conciuis tuus iactat Valerius) erga Patriam Curtij pietate clarius exemplum. Sit ſanè monimentum gloriæ te, ne res Roma-

na

na collaberetur, teipſum dediſſe præcipitem ; neve portentoſo Vrbs illa deglutiretur hiatu, tuo te corpore impleuiſſe voraginem. Memorabilius tamen fuiſſet, ſi irruentes in Patriam copias, ſi dimiſſas in maritimam oram claſſes vltor inuaſiſſes, tuum cum hoſtili ſanguinem profuſurus, vt Tyberis impleretur, exundaret & mare. Conticeamus, quæſo, Antiquitas, de illo Catonis facinore, quod tàm euulgas egregium; periculum eſt, vt illius amor in Patriam, quod nonnullis eſt in confeſſo, fidem poſthac inueniat ancipitem. Dices, meus Cato, ne patriæ libertatis videret excidium, ne videretur Cæſareę fauere tyrannidi, ſibi mortem animosè conſciuit. Sic peſſima derridetur fortuna, ſic ferè parta abripitur hoſti victoria, ſic ſeruitutis laqueus diſrumpitur, & libera vita liberiori morte mutatur. Non dicam ipſe, Catonis necem à metu ſeuerioris lanienæ acceleratam, quæ ne crudelior foret inuito, ipſe lubens ſuo lacerto, ſuo gladio mitiora ſibi pro arbitratu vulnera inflexit. Immane ſolùm, & dirum eſt, quod horret metus, quòdque intentatur inuitis, placidum autem, & carum, quod nobis præparamus ipſi, &

ſequimur. Non negabo, inquam, dignum orbis theatro ſpectaculum. Sed minùs fortiter non feciſſet Sardanapalus. Si iam publica res in vnius imperium conceſſerat, ſi aduentabat, inſtabat, iàmque aderat Tyrannus, cur potiùs non attentare tyrannicidium? Deducit ſe Cato dum deſideratur? Fugit, dum eſt pugnandum? Fuga turpiſſima, morte? Irrumpere Cæſarem, & Catonem ſepulchro ſe condere? *Hoccine patriam amantis exemplum?* Ita deſeritur patria, non ſubuenitur; nec aliud feciſſet Lucretia, accedente ſibi corruptore Tarquinio. Fœminarum eſt iſtud genus mortis, & mollium. Vos Athenæ de Codro, tu Roma de tuis ſilete dum de Venetis loquendum eſt, quibus plenius eſt ſpiritibus pectus. Et ipſi appetunt mortem oppetere, ſed illam, qua patria ſua ſit vſura fœliciter. Ne putetis non extitiſſe huius Vrbis deſertores Cæſares, inſectatores Annibales: fuerunt (ſi obliuiſcimini) Latinis, Afriſque immitiores Athilæ Scythę, Regum Reges, hominum, regnorũmque flagella. At Veneti Scipiones, ac Actij dum legionibus terræ, dum claſſibus obſiderentur maria, voluntariam non confugerunt ad necem: ad in-

 cur-

currentia vndìque prælia occurrerunt,in medijs hoſtium globis edocturi quemadmodum pugnetur pro patria; etſi moriendum ſit, moriantur & hoſtes, vel ſaltem extimeant; ſin minùs obſtupeant. Sic oſtenditis non ſolùm quantum ipſi debeatis Patriæ,ſed etiam quantum ipſa vobis debeat morituris, quorum deſtinatum iam morti corpus publicæ vtilitatis vſus impendit cum fructu. Pereant Catones inulti, quibus forſan non erat cauſa viuendi: vos, fortiſſimi,expectatis hoſtem, in cuius facie mortem cum hoſte contemnitis. O quàm libenter prodigitis fortunas, liberos, omnia ante libertatem amiſſam, vt tot orbitates conuertatis in bellum, tanquam omnia in illo vel perdenda ſint, vel reſumenda! Deſuetierunt ideò iamdiù proditionibus,incurſionibus, prælijs veſtræ libertatis inimici, experti toties quàm validos habeant Venetiæ propugnatores, quàm temerarium ſit ijs inferre violentiam, quàm impoſſibile reportare victoriam.

Ita, Patres Conſcripti, non aliter, quàm armorum apparatu, promptiſque congreſſibus hoſtium territatur inuidia, diſtrictòque gladio

quicùnque admonetur, vt ſi adimendum ſit regnum, non id vnquàm, niſi, & inuitis armis, & victis Pugnet neceſſe eſt ille ſua pro vita vobiſcum, qui neceſſitatem vobis ingerat pugnandi pro Patria. Ità amatur Patria, ita viuitur pro libertate, ita morimur fœliciter, ſi morte noſtra viuat illa ſuperſtes. Et ſi quando omnino debeat in fata concedere ſeruitutis, viuamus nos, ſi fieri poteſt, ſoſpites filij, vt relinquatur aliquid tyranno, quod timeat. Ea propter parum vobis illorum blanditur opinio, ſatis nempè fuiſſe vixiſſe, dum ſtaret libertas; cadente iſta, ſatiùs perire, quàm ſubigi. Tunc magis, ſi aliàs, viuendum putatis illis, qui omni ſibi ſublato bono, ſortiuntur honeſtiſſimum, id eſt meritum tyrannicidij. Habet has vices conditio mortalium, vt proſpera malis rariùs ſuccedant ex voto, quàm bonis. Et miſeris poterit ſanè cuncta ſuffurari tyrannus, at non item ſpem recuperandi, neque ſperatæ vindictæ fiduciam: eſt illa quædam poſſeſſionis vicaria, eſt iſta anticipatum amiſsæ rei dominium, vtràque ſeruitutis miſerandæ ſolatium? Sunt hæc ſcita Senatus, hæc ſunt documenta Seniorum, his rudimentis Veneta Iuuen-

tus

tus in Patriæ initiatur affectum, hæc denique Reipublicæ gloria eſt habere patritios, quibus pulchrum mori, electio eſt, & lucrum, ſi modo ſe collapſuram extremo vitæ beneficio ſuſtentent.

Quid adhæc de Bonitate veſtra, optimi Viri, ſupereſt mihi dicendum? Quid vobis vltra donandum? Nihil bonorum numeramus in ſerie, quod tàm ex iuſtitia, quàm ex amore non viderimus alij à vobis communicatum. Vna reſtat Religio, vnus Deus, quid reliqui feciſtis vobis, quod debitum iſtis retribuatis? Hem! Quid eſt, cur iſtud tanquàm obliuioſus, interrogem? Nihil hactenus dediſtis, dum omnia dabatis, niſi Deo, extra quem, ſicut omnia exigua ſunt, ita nihil habent volupe, quod veſtri ſit amoris allicium; omnia reijcitis veſtro veluti indigna delectu, & dilectione. Quemadmodum enim obſcurari contingit ſydera pręſente ſole, ita amici, parentes, Patria, & quicquid non diſplicere conſueuit, diſparet vobis Deo collatum; inuiſum eſt parentum conſortium, liberorum arcentur amplexus, ceſſat amicorum eſſe grata iucunditas, perinde ignoti cognati deſpiciuntur, patria mi-

migrat in carcerem. Vt hęc vobis grata reddantur, & honeſta in ſeſe, deligitis atque diligitis propter Deum, qui vobis vnicus Parens eſt, eſt Patria Cœlum, eſt amicus honeſtas. Non abutimini Deo (ſunt verba Theologorum) vt creaturis fruamini, quod eſt multorum inordinatus affectus, & peruerſitas; creaturis potiùs vtimini, vt Deo fruamini, cui vultis, quicquid Bonitas veſtra fundit, iri tributum. Fuit hæc ab huius Reipublicæ cunabulis, fuit ea Venetorum Religio, vt quæcùnque facerent (fecerunt autem ſemper præclara) ſingula Dei referrent in cultum. Sic ſimul atque primis Patribus fuit vrbis condendę conſilium, ſtatim Templi fundamenta iecere: Venetiæ priùs Eccleſia fuere, quàm Ciuitas: Veneti priùs fuerunt (penè dixeram; eccur autem non dicam?) Monachi, quàm Senatores: Ante quæſiuerunt regnum Dei, quàm ſuum. Datur iſtis intelligi, Venetos cuncta à Cœlo auſpicari, in ſuo etiam terminanda principio. Proh initia pietatis! Quàm fœlicia vobis proſperitatis auſpicia! Quàm facilia mihi veſtræ Religionis argumenta!

Latiſſimus hìc mihi ad dicendum pateſcit cam-

campus; ſed non excurram per ſingula, vt ne in infinitum protendatur oratio. Præterquamquòd in tam ſpectabili facie relucent iſtius charitatis incendia, vt illi, cui ſunt illa obſcura, ſol quoq; ſit obſcurus oporteat. Non habet orbis, ita me Deus adiuuet, ſimilem vrbem, cui Religio fuerit parens, obſtetrix, altrix, nunquam diuidua comes, aſſiſtens ſemper Intelligentia. Roma gloriatur, quòd fidei noſtræ mater extiterit, ſed in nouercam degenerauit interdum: perdere nempe ſategit, quos educandos ſuſceperat, vixq; perceptæ pietatis diſciplinæ, ſuperſtitionum doctrinam adiunxit: quam inter optimas modo admiramur, pridem inter malas peſſimam agnouimus, adeo vt, quæ hàc tempeſtate abundè laudari non poteſt, ſub id tempus ſatis non potuerit opprobrari. Alias quidem Ciuitates ſana fidei tyrocinia, ſed non etiam incrementa honeſtarunt. Illa terrore didicit Euangelium, alia timore dedidicit. Nonnullæ ſimulatam requirunt Religionem in publico, at verò de priuata ne inquirunt quidem. Complures permittunt, vt domi ſecretò ſolis coniugibus, ac liberis credas furtiuum cultum, ſed pàlam iubent te mentiri

teipſum

teipſum. Tandem quamnam vrbem, quem angulum in orbe terrarum, quod genus hominum tu, ò quicunque, indicabis, quæ non cogar (heu!) obijcere à pietate Catholica aliquando deſciuiſſe? Exime autem ab hac nota Venetias, quas à communi lege priuilegium exemit, indulſitq; vt non priùs vitæ fruerentur lumine, quàm fidei, atque epota cum lacte charitate, pijs alerentur augmentis, & in vberrimam omnium virtutum frugem ſic matureſcerent. O' Ciuitatem! O' Ieruſalem! Quidni addebam, deſcendentem de Cœlo à Deo paratam, tanquam ſponſam ornatam viro ſuo? Etenim ſola virgo Deo deſponſatur, ſi præſertim ea ſit, quam nulla vnquam hæreſeos labes deuenuſtarit, nullus infidelitatis næuus fidei candorem intinxerit.

Te pietatis hoſtem teterrimum, te, Hæreſis, increpo dum appello; Tu niſi potes venire teſtatum, quia turpiſſimis nominibus infamata, fateare, quod potes, tuam ab hac Vrbe perpetuam proſcriptionem: iacta te deinde quantumuis, quòd vbiq; debacchata locum omnem tuis machinis concuſſeris, arietaueris, dirueris: impro-

properabo ipſe, tuos hic terminaſſe conatus, irrita auſa, technas illuſas. Te Feram inferam, & ſolutum è ſtygijs Cerberum, orbis agnouit, quòd tergemino ore (an cloacis? an verius infernis?) vniuerſum impuriſſima blaſphemiarum fœdas alluuie, nigerrimaq; ſuffiens fuligine veritatem obtenebras, &, quod extremum eſt, tranſmittendos in tartara voras incautos. Gratias Deo, quòd hìc ſemper ſurdis adlatraſti, viroſaſq; quas euomiſti Peſtes, aliò hoc mare reſpuerit, quod nihil ſibi retinet nõ purum. Te deniq; monſtrum appello, quæ plurium factionum informibus membris Sphingem effingis, quot ex Venetis Dauos errorum ambagibus perſtrinxiſti? Quot, vel ob ſenſuum licentiam, vel ob rationis ignauiam tuis dementaſti præſtygijs? Neminem vnum. Inſediſti, quidem his quoq; ſcopulis, & pluribꝰ comitata ſyrenibus, ſed Oedipos offendiſti, & obuios Vliſſes, qui aut obſtruxerunt incantaminibꝰ aures, aut tuos retegentes aſtus te in præcipitium coegerunt. Tuas hìc audiſti (quàm ęgrè!) exſibilari fraudes, vt futiles, ſuperari niſus, vt debiles, irrideri fallacias, vt aniles: hìc tandem, in his vndis arenæ ceſſiſti, hìc abieciſti perfracta ar-

ma, vidiſti hìc tua ſigna iacere. Qui ipſe iſta commíniſcendo non poſſum ſtupori non commiſcere lætitiam, vos Auditores, argumento reſcribite confirmatæ Religionis, quæ Venetijs, nec violari poteſt, nec pollui. Veniat, eſto, à quauis terræ regione gens exlex, patet vrbs impeditura neminem, nulliq; aditum interclufura: non ſe defendit ſui receſſu, neq; acceſſu fidei noſtræ perduellibus interdicto: ſuà ſe pietatis conſtantià tuetur. An eſt quòd timeas, ne morboſa morum contagione inficiantur Veneti, quibus non tàm curæ eſt, vt ſint apprimè pij, quàm vt eiuſmodi ſint inter impios? Student ſibi geminare coronas, & quòd optimi, & quòd multos iuuent exemplis. Non poſſunt ſeduci Catholici, quibus reſerato ſemper euangelij volumine Marcus concionetur. Nullibi candidiores fidei margaritas expiſcatus eſt Petrus, quàm in hoc Mari. Sed enim hæc Reſpublica eſt illa concha (de hoc proludebam in prima ſtatim huius libri fronte) quæ Cœlum verſus patulis auribus Diuini Verbi alimentò nutritur, nulloq; concubitu, quia virgo, ſolo cœleſtis muneris rore, *Semine* inquam *ab Aethereò* fœcunda, plures par-

tus

tus de Cælo, quàm de terra progenerat. His gemmis Christianæ pietatis ditauit ærarium, Cœlumq; ornauit. Superni numinis Maieſtas vbinam reuerentiùs excolitur? Vbi adoratur auguſtiùs? Orbem tantiſper animo perluſtremus, ſi oculis non ſit circumeundi facultas, num aliqua natio, in qua aut diutiùs fuerit, aut ſtabiliùs ſteterit, aut ardentiùs inualuerit inuiolata Religio? Vbinam inuiſuntur Diuorum delubra maiori concinnata artificio, maioribuſq; ſumptibus elaborata? Si artis ſtructuram expendis, nihil mirabiliùs; ſi materiem, pretioſiùs nihil vſquàm inuenies; ſi ſacram ſuppellectilem, quid venuſtiùs, & ditiùs? Si donaria, quid locupletiùs? quid alibi excultiùs videbis, ſi ſpectabis ornatum? Tam profuſa largitate Domus Dei diteſcunt, vt videatur gaza inter clauſtra oſtentari? Inter omnes autem Religioſorum ordines, qui munerum veſtrorum mole prægrauantur, nullus charitati veſtræ obſtrictior eſt Caſinenſi, quoniam nullus tam magnificè à vobis beneficijs eſt auctus. Hoc fatemur omnes ingenuè, idem deprædicat hoc Cœnobium, cui cum amplas diuitias dederitis, parum nihilo minus tamen

viſum eſt collatum, niſi plures etiam Reipublicæ Duces ſe illi dediſſent, videlicet vt ſplendidiùs ſanctitate, quàm theſauris, licet ſplendidè theſauris, honeſtarent. Admirere hìc quicunq; hominum es, qui aſſiſtis, Venetorum ſtupe pietatem, dum audis quamplures Duces, innumeros Senatores Principatu, ac Magiſtratu abdicatis, tàm expeditè ad priuatam Monachi vitam, à Diui Marci prętorio, ad Diui Georgij pertranſijſſe Cœnobium: magis in perbreui huius interiecti ſpatij diſtat anguſtià vtraque domus, quàm Monachi mores, à moribus Senatoris. Argumento, quia non eſſet tàm prompta conuerſio (Philoſophorum noſce nomenclaturas) nec ab vna ad aliam tam facilis tranſitus, niſi eſſent in morum qualitate perſimiles.

In Eccleſiam verò Romanam quanta eſt (Deus bone!) quàm ſpectabilis, quàm ſtupenda pietas Venetorum! Vno omnium ore Veneti Romæ cuſtodes, Latij tutelares, obedientià filij, patres amore; & quanquam his titulis inſigniti, gratiùs ſeruorum nuncupatione lætantur. Petit auxilium Eccleſia? adſunt: expauet hoſtes? ſumunt arma: ſuadet claſſium expeditionem in

Aſiam?

Aſiam? perſuadentur: deſeritur ab omnibus? permanent amici, & conſortes. Omnino ſi iubet, obtemperant, abſtinent ſi vetat, ſi poſcit concedunt; obſequentiſſimi Vertumni illam faciem induunt, qua magis illi complaceant. Et ne multa, hìc vnum inducam Venetę erga requiem Eccleſiæ charitatis exemplum. Squallebat olim inter profligatam impiorum barbariem Romanæ pietatis ſplendor, nec Pontificiæ quidem ſanctitati cicurebat impietas. Vrbs tota pleno mœrore confecta, quaſi mòx deſerenda ſponſo contriſtabatur. Infremebat vbiq; Romæ tempeſtas; Hinc ſeditionis turbo perſtrepebat, illinc minarum gurgites imurmurabant, alibi inſidiarum ſcopuli oculebantur, ſpumabant liuore fluctus, paſſim verò inexplicabiles diſſidiorum mæandri circumueniebant; Roma erat vna tempeſtas. His omnibus dirior ille Cæſar truci ſupercilio laxabat folles irarum, arroganteſq; ſpiritus minabantur difflare quicquid ſuam contra ſententiam efflaret: expectabatur orbis Catholici naufragium in Vrbe. Quid ages, Petre? Quò te vertes? Parat rurſus Nero catenas, carceres aperiuntur, clauſo vndiq; ſalutis effugio.

Fuge

Fuge Româ, fuge ad mare, naufragi ſiunt Romæ Petri, ſeruantur in mari. Iç Cæſar inficias te eſſe Petrum? Affirmabit idipſum mare, erit hoc teſtis, & arbiter: iterum ſi opus erit, ſtabile tuis greſſibus præſtabit obſequium.

Suà Petrus exturbatus à ſede, à ſua ſponſa diuiduus, nauiculam exul aſcendit. Mitius tyranno mare ad tanti hoſpitis acceſſum elata terga depoſuit. Arbitror, tum vndequàque profugum circumſpexiſſe, quò tutum ad portum cynoſura conduceret. Nuſquàm Arctos nauclero illi clarior illuxit, quàm in hoc Cœlo, vbi tum alatus Leo vicem obiuit Vrſæ minoris. Ad hoc tandem littus ėſt ventum, vbi ſerenum aſpexerat, & ſumpſerat nauigationis auſpicium. Marcus quanta commiſerationis teneritate condiſcipulum eſt amplexatus! Roma per id tempus recepta Venetijs, poſt naufragium tabulam, poſt contemptum cultum, poſt inſidiàs tutelam, poſt Schiſmaticos hoſtes, fideliſſimos fratres inuenit. Creet Roma Pontifices, Venetiæ conſeruabunt, aſſerėntque ſuas in ſedes. Quid non faceretis, pijſſimi Patres, pro Religione? Non tam plures, quàm magnos pro Eccleſia fœliciter exceptos,

fœli-

fœliciſſimè terminatos labores, contuſam ſcilicet barbarorum audaciam, frænatum impiorum Cæſarum furorem, ſedata Schiſmaticorum iurgia, fatetur Roma, teſtatur Italia, clamat Aſia, commendat Europa; mundus totus vobis gratias habet.

Sed neque gloria veſtra anteactis ſeculorum decurſibus definitia eſt, ſuperſunt adhuc maiora, quæ ad totius mundi ſtuporem perficiatis. Erit tandem tempus, quo Venetus Leo victrices ducat in Aſiam claſſes veſtras: ferentur roſtra per calcata Turcarum cadauera, per tot infidelium acies chriſtiano Marte diſiectas. Deferent latiale vexillum Adriaticæ puppes, volabit per Aethera Leo (addo ego in fine orationis nauigationis comites, adſocio certaminis commilitones, meas preces, & vota) Crux ſua expandet brachia ad populum tùm credentem, Marcus Venetijs iterum petet docturus Aegyptum, Ieroſolimæ rurſus fideles nobiſcum omnia pietatis ſunt habituræ communia, iterum Athiſem Tanai, Eufratem Pado, Euxino Adriaticum ditione coniungetis, vna erit Adriæ atque Aſiæ Religio, tandem erit metropolis Roma Biſantij. Videor

dcor

decor mihi vos præuidere in illa, naui dicam, an nauium Regina? At non eſt pro onerando, ſed pro ornando ſponſalibus mare. An potiùs Argo denominem? At Venetijs non itur ad Colchos, eſt hìc aureum vellus, & ſeculum. Aptiùs igitur Venetiarum Capitolium appellabo, vbi quotannis celebrantur pompæ triumphorum. In illo inquam triumphali curru Tritonibus conuecto, conſociato Syrenibus inter armonicos plauſus dabitis Maurotalaſiæ arrhas ſponſaliorum, & recipietis; eritis illius Sponſi, & Domini vniùſque fidei, ac fortunæ participes. Illùc ſpectant conatus veſtri, ibi animus, ibidem intentio, eò tendit ſumma votorum. Summà ambitione velletis in illa regna ſuccedere, vbi exulat pietas; ſummà auaritià omnia vobis aſſerere, ſed ſumma Bonitate omnia ſubdere Religioni, cunctàque Deo tribuere. Veſtræ Bonitatis lineam non capit orbis, extenditur vltra, quæ cum in Deo finiuerit, meum ipſe claudo Triangulum.

Deberem hìc multis, ſupplicibùſque verbis tutelare huius Reipublicæ numen exorare, vt proſperis ita ſucceſſibus ad meliora ſemper vos con-

conſeruaret, ſed quia idem videmus Deo collibitum, quia primæ Iuſtitiæ certus confido retributioni; quia probè ſcio eandem teneri niſi ad iuſtitiæ, at ad fidelitatis titulum factis aſpirare pulcherrimis, fortunare virtutes, pietati dexteram affulgere, atque ciuili beatitate, Cæleſti, quæ finis eſt veſter, proludere; ea propter maximas potiùs, ac libentiùs publico humani generis nomine gratias ſuperis ago, agàmque dum viuam, quòd poſt tot operas vtiliter pro Deo nauatas, totque poſt ſudata glorioſo labore facinora, ſupremum illud, atque incomparabile iuuamen ſitis allaturi; illud erit conſummata militãntis Eccleſiæ victoria, extremùſque illius triumphus. Crux, quæ adhuc impugnatur, vincet tandem, & triumphabit, nec ſine vobis. Quomodo autem ſine vobis, qui illius eſtis vires, & arma? Quomodo ſine veſtris armis tam ſæpè vincere, ac triumphare conſuetis? Eò igitur venietis perpetuitatis, vt non ante deſtituri ſitis à regno, à pugna pro Cruce, quàm Crux omnia ſibi deuicerit. Eritis inter illos Imperatores (ſi alij erunt) qui glorioſiſſimà pompà conuehentur in orbem. Non dixi in vrbem, quo-

niam per id tempus, orbis erit vna vrbs, & quicquid omnino terrarum erit, triumphi theatrum erit. Hoc inſigne decus non tam omnium, bonorum præſertim, vota, quàm merita veſtra impetrarunt vobis à Deo, qui dudum cæpit vobis debere pro Eccleſia ſua. Non idipſum ſperamus modò, diuinamus etiam, quòd multis vidimus miraculis conteſtatum. O quanta tum triumphantium maieſtas! Sed cuiuſnam Herois quadriga trahetur, aut ad magnificentiam ornatior, aut ad ſtuporem rarior, aut ad decorem auguſtior Veneto curru à Leone conuecto? Strata vehicula perornabit candidiſſimum illud Religionis nunquàm commaculatæ velum: & ſi requiretur inſtratum verſicolori varietate depictum, colores mutuabunt virtutes omnigenæ. Cuiuſnam currum vel antecedet victorum, vel ſubſequetur vinctorum turba copioſior? Veſtrum præirent Narentani, Normani iam pridem depreſſi, Vſcochi nuper exterminati, alijque complures ex Creta deleti piratæ teterrimi, ſi daretur ſemel extinctis viuiſcere. Numerum augerent innumeri ex Sarracenis, Scythis, Vandalis, Hunnis, Longobardis, Go-

this, & id genus alijs, longè poſt natos homines improbiſſimis, iam interempti. Superuenient Turcarum examina, qui non ſuſpicient, deſpicient magis Lunam non vltra ſuis cornibus minantem Cœlo, ſed demiſſis ad terram, vt ſeſe triumphalem arcuet in circum. Quot ſpecioſa pendebunt ab haſtis victoriarum inſignia? Sceptra vileſcent iam diſcerpta, ab Actiolino Paduę, à Murcimiro Lyburniæ, ab Vlrico Gradenſium, ab Alberto Carnorum tyrannis abrepta. Vnde ſuſpendentur tot claſſium roſtra, tot vexilla copiarum, tot omnium genera tormentorum? Locus deficiet trophæis. Tubicinum vices obibit Fama, & ò quot prędicabit, modo mille ora ſufficiant! Non otiabuntur lictores flagello feriato, cædentur paſſim ſcelera, quæ ſemper ab hac Vrbe proſcripta voluiſtis. Schiſmata Venetorum auctoritate compoſita proponentur ad ſui ludibrium, profligatę iam hæreſes narrabuntur ad iniuriam, ſubiugatæ tyrannides iacebunt ad deſpectum, captiua infidelitas conculcabitur ad ignominiam. Qui interea multorum regnorum feſti plauſus; quæ lætæ plurium prouinciarum acclamationes, quæ laudes frequentiſſimi

 po-

populi, quæ præconia Venetis conferentur? Inter cæteros floribus redimita militum cohors (niſi deſueſcat vſus triumphorum) varios commenta titulos, vos vocabit Imperatores Latinos, Græcos, Cyprios, Thracios, atque linguarum quidem vario, vno autem animorum concentu decantabit Potentiam veſtram inuincibilem, Sapientiam ſublimem, de his autem omnibus triumphãtem Bonitatem. Si ſublimabuntur pyramides, iuſtiùs vobis Orientalibus: ſi erigentur obeliſci, digniùs vobis Latinis: ſi columnæ conſurgent, cui quæſo æquius quàm vobis, quibus nulla poteſt præfigi meta, ſi plus vltra ſit procedendum ad gloriam? Fortaſsè nullum erit opus ſtatuis, quia quot erunt veſtrarum actionum ſpectatores attenti, poteritis indicare tot ſtatuas.

Interpretes valete futurorum, vos loquor, qui ſiuè inuidià quia velletis, ſiue amore, quia timetis ominamini Reipublicæ Venetæ approperatum finem. Quid addubitatis? An, ne Reſpublica totius mundi grande compendium temporum cadat iniurijs, ciuium cedat inſidijs, hoſtium ruat aſſultibus? Malè natum timorem!

Non

Non ea ſunt Dei officia, non ea pręmia retribuit illis, qui, nę eius temnatur maieſtas, diſcrimina cuncta contemnunt. Non ſunt hæc illius munera, cui ſi parcè donas, vel reddis, mercedem ſortiris cum fœnore. Veneti, cum agitur de re diuina, non regnant, ſeruiunt. Timeant illæ Reſpublicæ feſtinatum fatum, quarum ciues, vel apertis furētes odijs, vel occultis ſimultatum diſſidijs contendentes inteſtinà luctà ita ſe debilitant, vt ſe reddant exteris reluctando impares; vel ſi præualent; mutant pręcipiti tyrannide, vel Anarchià Rempublicam. Vni datur violentiæ vincere, & excedere tempus, ibique ociſſimè accelerat, ſi diſcordijs concitetur. At hic vbi Pax regnat, exulat violentia, vbi Bonitas concedit, cedit iniuria: nihilque vt contrarium offendes, vbi charitas, religio, pietas cuncta componunt. Funeſtum illud exhorreant vaticinium Platonis Vrbes, quæ iuribus ab iniuſtitia, quæ viribus ab hoſtibus non defenduntur; in quibus ius nullum ſeruatur, vbi magiſtratus nulla lege reguntur, & iudices priuata peculiant, peculantur, & publica; vbi id ſolum creditur iuſtum, quód eſt potentioribus vtile: vbi quod libet licere exiſtimatur.

Ve-

Venetijs, vbi lances Aſtræa contrectat, fugit iniquitas, vbi Leo cuſtos aſſiſtit, Pax in tuto requieſcit æternùm.

Expectare tandem vos video Auditorum aures, dum veniam precer piæ temeritati; ſentióque me ſubmiſſo murmure moneri, vt cum Venetorum factis dictorum diſparitatem excuſem. Quid me, quæſo, vlteriùs onerat iſta precautio? Satis ſupèrque multá, eadèmque honeſtiſſima cognoui de Venetis, quę ſi ego pro viribus non ita laudaſſem, vos id mihi vitio dantes, exprobraſſetis. Altera neceſſariò ſubeunda erat culpa, inuidiæ tacenti, dicenti temeritatis; malui vltimam, de qua ſi debeam puniri, & detur pœnarum arbitrium, illam eligo, vt quæ omittebam, iterum dicam excellentiora.

FINIS.


PAX TIBI MAR
CEE VAN GEL M